Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-620769-p0001-1

A. 126

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-620769-p0002-7

EPITOME
LIBRORUM VII. L.
ANNÆI SENECÆ

De

# BENEFICIIS,

Sic inſtituta, ut quæ ſparſim ibi fu-
ſeque tractantur, ſuccinctâ brevitate ad
tria capita revocentur, quorum 1. agit de
dandis, 2. de accipiendis, 3. de
reddendis Beneficiis.

*Adjecta eſt Centuria Apophthegma-
tum Plutarchi inſigniorum, Græc. Roman.
& Laconicorum*

CUM

Triplici Indice 1. autorum ἀποφθεγξαμένων,
2. rerum memorabilium, & 3. vocabulo-
rum ac phraſium græcarum.

AUTORE

M. JACOBO SORGERO,
ill. Scholæ Schleuſingenſis
Rectore.

JENÆ
TYPIS JOHANNIS WEIDNERI

ANNO M, DC. XI.

3
Gi 2286

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-620769-p0003-2

*Sincerâ pietate, inſigni eruditio-ne, morumq́ culturâ elegantiore ornatiſsimo*

GOTEFRIDO Rotheupt Lipſenſi, SS. Legum ac Juris-prudentiæ Studioſo, in inclyta Salana jam verſanti, Fautori & Amico ſuo plurimùm colendo

*Gratiam* DEI, *ſalutemq́ in* CHRISTO *perennem ex animo pr.*

SEmeſtre elapſum eſt & amplius, GOTEFRIDE optime, Amice ſuaviſſime, cum priores haſce pagellas miſi tibi, manu tum exaratas meâ, ut qualecunq; eſſent animi grati & acceptorum beneficiorum memoris ſymbolum. Nihil, ita me DEUS benè amet, minus tum cogitavi, quàm ſic eas à te acceptum iri, ut typis eas deſcribendas exiſtimes. Sed præter omnem opinionem meam (abundantiâ quadam tui erga me amoris, an materiæ, quæ inibi tractatur, jucunditate

 allectus

allectus ſic ſtatueris, ambigo) prælo ſubjiciendum opuſculum, cumq́; amicis tuis communicandum cenſuiſti: Quid hîc facerem? (Qui plurimis hactenus beneficiis affectus à te ſecretò fueram, ſecretò quoque & remotis quaſi arbitris, qualecunque hoc ἀντίδωρον mittendum ducebam. Quocirca nec amanuenſis alicujus operâ uti volebam, ſed ſolus cum ſolo rem transacturus, ipſe, in promptu quod erat, & ἐξ ὑπογυίου, adornabam Xenion. χάλκεα tamen, quod lubens fateor, χρυσείων. Atqui hoc ipſum, quicquid eſt, quandoquidem ſic acceptas, ut publicam amicitiæ noſtræ teſſeram eſſe cupias, religio eſt, hac in parte refragari tibi aut obſiſtere: quin potius do manus. Improbus quippe ſim & ingratus, ſi furtivè ſal-
l. 2. de Benef. c. 23. tem & in angulo, ut cum Seneca loquar, gratus eſſe velim; in propatulo, renuam. Quod itaque, cum primùm exhiberetur, feciſti, etiamnum vultu hilari ſerenaq́; fronte recipe exiguum hoc & levidenſe munus τῇ προθυμίᾳ τοῦ διδόντος, οὐ τῇ χρείᾳ τοῦ διδομένου τὴν χάριν

μετρήσας

μετρήσιας. Libet enim iisdem uti verbis, quibus προσφώνησιν illam ſuam orditur Plutarchus, cum Trajano Imperatori Apophthegmata ſua offert & dedicat. Ex quibus centum ſelectiora excerpſi, atq; Parallelis pleraq; eorum illuſtravi. Illam ipſam Apophthegmatum centuriam conjungere cum priori opuſculo volui, ut eſſet ὡς ἐν προσθήκης μέρει, quo aliquantò plenius redderetur, quod prima vice miſi, munuſculum. Tuum erit GOTEFRIDE, (quo etiam nomine obnixè rogatum te volo) ſi quem Zoilum aut Momum dente Theonino rudem hunc & informem fœtum meum arrodere animadverteris, pro virili eum defendere. Quamvis nihil ferè attineat, iſtius farinæ homines magnoperè curare. Sic ergo potiùs facito. Si quem cordatiorem offendet, quòd obſcurus ego jamque dudum in vita umbratili palleſcens cum vili hoc ac tenui tractatulo in lucem ac theatrum literarium prodeo, ei honeſtè me excuſa, & prout mihi conſcius es,

laureolam me in muſtaceo quæſiiſſe, aut oſtentationis gratiâ quicquam hîc feciſſe, ſtrenuè nega. Vale, precibus meis commendatus CHRISTO Immanueli noſtro. Dab. Schleuſingæ Idib. Januar. Anno M. DC. XI.

*T.*

*Devinctiſsimus*

*M. Jacobus Sorger*

# EPIGRAMMA
## Ad Rectorem Gymnaſii Schleuſingenſis digniſſimum, deq; eo jamdudum præclarè meritum; ea, quæ de Beneficiis Seneca ſparſim conſcripſit, nervoſa brevitate colligentem, inque ſtudioſæ juventutis gratiam publici juris facientem,

*Scriptum ab ejusdem Collega & Communitatis Inſpectore M. Sigiſmundo Sellio.*

NUnc demum *Sorgere* paras clareſcere, Rector
Nunc Schleuſingenſis ſurgito Gymnaſii.
*Seberi* dignus ſucceſſor, & æmulus ejus
Aſſiduus ſurgas Gymnaſiarcha recens.
Namque pares poſthac tuleris ſperamus honores
Sæpiùs his, munus quos tulit antè tuum.
Incipis hîc primùm fœtus excludere; dignos,
Quos junget reliquis Bibliopola libris.
Nam Benefacta refers danda-accipienda, modumque
Quem Senecæ magni verba dedêre Sophi.
Utilis eſt ſcitu res hæc juvenique ſenique;
Seu benè cui faciat, ſeu benefacta roget.
Quæ res namque datur major, qua proximè Jeſu
Chriſte tibi in terris aſſimiletur homo?
Tu benè cuncta facis, benefactor maximus inter
Omnes; quod tribuit pagina ſacra tibi.
Quare diſcipulus Chriſti qui diſcupis eſſe,
Dictæ virtuti te invigilare decet.
Invigilare voles quicunque, en accipe librum.
*Sorgeri-Senecæ*: pellege gratus erit.
Utere; percipies fructus, (mihi crede) per ævum.
Quorum te nunquam pœnituiſſe queat.

Sen. Epiſt. 8.

*Poſterorum negotium ago: illis aliqua, quæ poßint prodeſſe, conſcribo: ſalutares admonitiones, velut medicamentorum utilium compoſitiones, literis mando, eſſe illas efficaces in meis ulceribus expertus, quæ etiamſi perſanata non ſunt, ſerpere deſierunt.*

## EX LIBRIS VII. SENECÆ

# DE BENEFICIIS,

## 1. dandis, 2. accipiendis, 3. reddendis.

*L. 1. off. p. 2. b.*

*Cum, autore Cicerone, omnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliquare inſtitutio, debeat à definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur: priùs, quàm rem ipſam aggrediamur, unam atq; alteram definitionem beneficii, vel, ſi mavis, qualemcunq; ejus deſcriptionem, ex Seneca huc referemus.*

*Definitio Beneficii.*

*L. 1. c. 6. ſic definitur beneficium:* Eſt benevola actio, tribuens gaudium, capiensq; tribuendo, in id, quod facit, prona & ſponte ſuâ parata. *Ubi & de forma beneficii agitur, cum inquit autor: Non quid fiat, aut quid detur, refert, ſed qua mente. Quia beneficium non in eo, quod fit aut datur, conſiſtit, ſed in ipſo dantis aut facientis animo. Et mox: Ipſa, quæ appetuntur, neutram naturam habent, nec boni nec mali. Id refert, quò illa rector animus impellat, à quo* forma *datur rebus.*

*L. 3. c. 18.*

*L. 3. c. 18.* Beneficium eſt, quod alienus dat, qui potuiſſet ſine reprehenſione non dare. *L. 5. c. 11.* Beneficiū eſt, quod quis non ſua cauſa dat, ſed ejus cui dat. *Sic l. 9. controverſiarum p. 832. Beneficium eſt quod totum ejus cauſa præſtatur, in quem confertur.* *Repetitur hæc c. ſeq. 19* *Beneficium eſt id quod quis dedit, cū illi liceret & non dare.*

*Traditur & diviſio Beneficii l. 7. c. 17.* Duo ſunt beneficia. Unum quod dare, niſi ſapiens ſapienti, non poteſt: hoc eſt abſolutum & verum beneficium. Alterum vulgare & plebeium, cujus inter imperitos commercium eſt. *Prius illud, ſi de perfecta & omnibus numeris abſoluta ſapientia, quam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus, intelligas, non hujus id tractationis eſſe lubens fateor. Vivitur enim non cum perfectis hominibus pleneq́; ſapientibus, ſed cum iis, in quibus præclarè agitur, ſi ſint ſimulacra virtutis, ut Cicero monet 1. offic. p. 10. Proinde de beneficiis, ab ea ſapientiâ, quæ hac in vita in hominem cadit, proficiſcentibus, in ſequenti πραγματέιᾳ σὺν Θεῷ, agetur. Ejus capita conſtituemus tria:* *Diviſio ſeu diſtinctio* *Quæ beneficia ſint hujus conſiderationis.*

1. erit de dandis, 2. de accipiendis, 3. de reddendis beneficiis.

# CAPUT I.

## De dandis Beneficiis.

*DIſtribui poteſt primum hoc caput in quatuor membra: 1. Quis dare debeat aut poſſit beneficia. 2. Quibus illa ſint danda. 3. Quænam ſint danda & conferenda in alios. 4. Quomodo danda ſint.*

I.

*Quinã beneficia dare debeant. Non ſolùm divites,*

*Pleriq; non modò pauperes, ſed & mediocris fortunæ homines beneficentiam ad ſolos divites, qui ſunt in re benè aucta & lauta, relegatam volunt, utpote, quibus in promptu & ad manus ſit, unde aliis benefaciant. Sed hi errant, quandoquidem ſolâ pecuniâ, qua pauperes utplurimùm deſtituuntur, benignè fieri poſſe autumant. Neque enim nummis ſaltem, ſed operâ etiam ac induſtriâ beneficentiam exercent homines. Illa ex arca, hæc ex virtute, depromitur. Atq; ita apparet, neminem à benefaciendi ſtudio excluſum eſſe, ſed egenos æquè ac opulentos, ſi non ære, tamen operâ, id eſt, virtute & induſtriâ benefacere & poſſe & debere. Quin imò honeſtior cenſetur & liberalior, bonoq; Viro dignior, quæ ex virtute potiùs quàm fortunâ, adminiſtra-*

*Cic. 2. off. p. 43. b.*

*Verùm etiam pauperes*

adminiſtratur beneficentia. Quò refer c. 8. l. 1. ubi exemplo probat Seneca, à paupere etiam benignitatem exerceri poſſe. Socrati cum multa multi pro ſuis quisq; facultatibus offerrent, AEſchines pauper auditor, nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi poſsim, invenio, & hoc modo pauperem me eſſe ſentio. Itaq; dono tibi, quod unum habeo, Me ipſum. Hoc munus rogo qualecunq; eſt, boni conſulas, cogitesq́; alios, cum multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe. Cui Socrates: Quid nî tu, inquit, mihi magnum munus dederis, niſi fortè parvo te æſtimes. Habeo equidem curæ, ut te meliorem mihi reddam, quàm accepi.

Et nota, quòd addit autor, viciſſe AEſchinem hoc munere ſuo reliquorum omnium opulentorum munificentiam. Sequenti Cap. 9. porrò infert: Vides, quomodo animus inveniat liberalitatis materiam, etiam inter anguſtias paupertatis. Eſtq́; perquàm elegans paraphraſis, qua illuſtrat verba AEſchinis in ſua etiam egeſtate liberalis: Videtur mihi, inquit, dixiſſe: Nihil egiſti fortuna, quòd me pauperem eſſe voluiſti. Expediam nihilominus dignum huic viro munus: Et quia de tuo non poſſum, de meo dabo.

Ad

*Quibus beneficia danda?*

*Ad quæſtionem quibus danda ſint beneficia, alii aliter reſpondent, prout uniuſ cujusq; animus vel virtute vel vitio imbutus eſt.*

*Non ſolis divitibus.*

*Avarus quiſpiam & lucri cupidus interrogatus, in quos conferenda eſſent beneficia, procul omni dubio ſolis divitibus benefaciendum eſſe affirmaret, quippe qui gratiam referre, & benefacta mutuis officiis compenſare poſſent. Sed poſcere, hoc eſt, non dare beneficium, ſicut ex illo Euripidis apparet, quo Archelaum quondam compellavit:*

*Plut. ex Dicæarcho citat, comment. de EI inſcripto foribus templi Delph. f. 384.*

,, ὀ βούλομαι πλουτοῦντι δωρεῖσθαι πένης,
,, μή μ' ἄφρονα κρίνης, ἢ διδοὺς αἰτεῖν δοκῶ.
,, *Nolo tibi dare dona pauper diviti,*
,, *Deſipere ne putes me, vel dando petere.*

*Et Iſocrates ad Nicocl. præpoſteram quorundam rationem donandi perſtringit, qui ſpe futuræ remunerationis regibus ac principibus ejusmodi dona afferunt, quibus ipſi jam antea abundant. Quod genus largitorum, vel, ut veriùs nominares, Mercatorum, multò callidiùs res ſuas vendit, quàm qui profeſſo cauponariam exercent. Illi enim cum ſordidè avari ſint, liberales ac benefici haberi volunt: hi verò, cum profiteantur quæſtum*

ſuum

*ſuum, candidiores jure meritò habentur iſtis impoſtoribus.*

*Alii iiq́; πολιτικώτεροι delectum adhiberi volunt, & poſthabitis indignis in ſolos dignos beneficia conferenda eſſe ſtatuunt. Sic enim præcipiunt*: Cui des, elige ipſe tecum *l. 3. c. 11.* Etiam atque etiam, cui des, conſidera. Nulla actio erit, nulla repetitio. Erras ſi exiſtimas, ſuccurſurum tibi judicem. Nulla lex te in integrum reſtituet, *ibid. c 14. Item: Peßimè beneficia dare dicitur, quicunq; ingratos eligit, in quos peritura conferat. l. 4. c 27. Nam perinde facit, qui beneficia ſua ſine ullo delectu non tam dat, quàm projicit, ac ſi ſemina in ſolum effoetum & ſterile ſpargat l 1. c. 1. Quocirca ne ſub ſpecie benignitatis inconſulta facilitas placeat, ſedulò cavendum eſſe monent, ibid c. 4.* *Neque dignis modò.*

*Sed relinquimus ſententiam hanc prudentibus filiis hujus ſeculi, & ſi utiq; eligendos quoſdam cenſeas, quos præ cæteris obſtrictos tibi reddere velis, hanc autoris regulam obſerves l 4. cap. 11.* Eligas virum integrum, ſimplicem, memorem, gratum, alieni abſtinentem, ſui non avarum, non tenacem, benevolum. *Hunc ſi ele-*

*geris*

*geris, licet nihil illi fortuna tribuat, quo referre gratiam poſſit, ex ſententiâ res geſta erit. Et ſi minus ipſe prodeſſe tibi gratitudinemq́; declarare ſuam poterit*, debitores tibi * delegat precaturque Deos, ut tibi pro ſe gratiam referant.

*[ *Turneb. Adverſar. l. 12. c. 9. Delegat debitorem, qui alium pro ſe, qui ſolvat, ſubſtituit.* ]

*Sed bonis juxta ac malis, adeoq; omnib. opis tuæ indigis.*

*Cæterum rectiſſimè ſentit, qui in eo Senecæ vel maximè ſubſcribit, cum monet, indignis etiam & ingratis benefaciendum eſſe. Quo ſpectant ſequentia* : Perdenda ſunt multa, ut ſemel ponas benè *l. 1. c. 1.* Unum benè poſitum beneficium multorum amiſſorum damna ſolatur *l. 2. c. 4.* Indigno ſi das, non homini das, ſed humanitati, *l. 4. c. 29. Ex Stob. ſer. 76. N. edit. diceres*: οὐ τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ἀνθρώπινον τετίμηκας. *Et l. 5. c. 1. Propoſitum optimi viri & ingentis animi eſt, tam diu ferre gratum, donec feceris gratum. Nec te iſta ratio decipiet.* Succumbunt vitia virtutibus, ſi illa non citò odiſſe properaveris.

*Sic malum vincitur bono, Rõ. 12, 21.*

*Ac ne ad benè merendum tardos nos faciat turba ingratorum, exemplum Deorum proponit autor, qui etiam ingratis beneficia ſua tribuunt. l. 1. c. 1. l. 4. c. 25 & 28. l. 7. c. 31.*

*Idem*

*Idem ſcilicet præcipit, quamvis Ethnicus, quod Salvator noſter diſcipulis & credentib. Matth. 5, 44. 45. Diligite inimicos veſtros, benè precemini devoventibus vos*, benefacite *iis, qui vos odio proſequuntur &c. ut* ſitis filii Patris veſtri, qui eſt in cœlis. *Quia Solem ſuum exoriri ſinit ſuper malos ac bonos, & pluviam mittit ſuper juſtos & & injuſtos. DEUM igitur imitemur, &* ſatius eſſe ducamus, prodeſſe etiam malis propter bonos, quam bonis deeſſe propter malos. *l. 4. c. 28.*

Sen. l. 4. c. 25. Pudeat ullum venale eſſe beneficium. Gratuitos habemus Deos. Si Deos imitaris, da & ingratis beneficia. Nam & ſceleratis Sol oritur, & piratis patent maria.

[*Ad alterum hoc membrum referantur Quæſtiones:*
*Num dominis ſervi benefacere poßint? ex l. 3. c. 18. & ſeqq.*
*Num ſapientibus beneficia dari poßint? ex l. 7. c. 4. & ſeqq.*
*Num amicis aliquid dari poßit, cum omnia illis ſint communia? ex ejusd. l c. 12.*
*Num quis ſibiipſi dare beneficium poßit ex l. 5. c. 7.*]

III.

*DE objecto beneficentiæ quæritur, quænam ſint danda & conferenda in alios? Reſpondet Seneca l. 1. c. 11. danda beneficia eſſe* *Quæ dandæ ſint?*
I. neceſſaria. *Neceſſaria.*

*Cum*

*Cum enim homines faſtidioſi ſint æſtimatores eorum, quibus facilè carere poſſunt; Si beneficium præbere te velis, videas, ut quàm maximè neceſſaria egenti ſuppedites, ſive is re ſive conſilio ſit adjuvandus.*

1. *Et ex neceſſariis primum quidem locum obtinent*, ſine quibus non poſſumus vivere, *ut ſi quis hoſtium manibus eripitur, vel ab alio quodam vitæ periculo liberatur.*

2. *Proxima ab his ſunt*, ſine quibus poſſemus quidem, ſed non debemus vivere, *ut libertas, & pudicitia, quarum rerum ſi jactura facienda ſit, mortem vitâ potiorem ducas.*

3. *Ultimo loco neceſſariis accenſentur ea*, ſine quibus vivere nolumus, *à quibus divelli non minus grave moleſtumq́ ducimus, quàm vitâ privari, ceu ſunt: liberi, conjuges, parentes, & amicorum intimi.*

*Utilia.* 2. Utilia *dari debent, quibus vitæ curſus redditur facilior & expeditior. Horum cenſu habentur nummi, honores, proceſſus ad altiora tendentium. Et nota hîc, quod l. 2. c. 14. monet, præſtare ſæpè, petita negare quàm dare, ſi ſcilicet nocitura videantur impetranti.* Exorari in perniciem rogantium, læva bonitas eſt. *Et quidem pulcerrimum opus eſt,*

*Sunt quædã nocitura impetrantib. quæ non dare ſed negare, beneficium eſt. l. 2. c. 14.*

eſt, invitos nolentesq; ſervare: ita rogantib. peſtifera largiri, blandum eſt & affabile odium. *Et c. 9. l. 4.* In dando beneficio una ſpectetur accipientis utilitas. *Et ejusd. l. c. 13. Beneficium ejus ſpectat commodum, cui præſtatur, non noſtrum: Alioquin nobis, non illis, damus.*

*Jucunda.* 3. *Dentur* jucunda, *quæ accipientem maximè oblectent, vitamq; hominis exornent. In his cavebimus, ne mittantur* ſupervacua *aut* incongrua, *ut feminæ ſive ſeni arma venatoria, ruſtico libri, aut literato inſtrumenta ruſtica &c. vel* vulgaria, *quæ quibuslibet dantur, vel deniq; intempeſtiva, non obſervato loco aut tempore. Videamus autem, ut beneficia opportunitate grata ſint, ut non vulgaria, quæq; aut pauci habuerint, aut pauci intra hanc ætatem habeant, aut quæ, etiamſi naturâ precioſa non ſint, tempore aut loco grata fiant. Huc facit quod c. 12. l. 1 addit: Munera non precioſa, quam rara & exquiſita ſint, quæ etiam apud divitem ſui locum faciunt. Sicut gregalia quoq; poma, etiam poſt paucos dies itura in faſtidium, delectant, ſi provenêre maturius. Illa quoq; non erunt ſine honore, quæ aut nemo illis alius dedit, aut nos nulli alii.*

*Quid differat materia beneficii & ipſum beneficium, docetur l. 1. c. 5.*

B Tandem

*Quomodo danda beneficia?* *1. habita ratione circumſtãtiarum*

*Tandem, ſi quæras, quomodo danda ſint beneficia, reſponſi loco regulas haſce obſervabis:*

1. Cum nihil ſine ratione faciendum ſit, etiam atq; etiam vide, quando des, cui des, quemadmodum, quare. *l.4.c.10. Refert enim quid, cui, quomodo, quare, ubi des; ſine quibus facti ratio non conſtat l.2.c.10.*

*2. Cum judicio.*

2. Adſit in dandis beneficiis judicium. *Neq; enim cordi eſſe poſſunt cuiquam fortè ac temerè data, l.1.c.14. & beneficium non in eo, quod fit, aut datur, conſiſtit, ſed in ipſo dantis aut facientis animo. l.1.c.6. Sic Cic. præcipit 1. off. p.10. Quo quisq; animo, ſtudio, benevolentiâ fecerit, ponderandum eſt. Multi enim multa faciunt temeritate quadam, ſine judicio vel modo, in omnes, vel repentino quodam, quaſi vento, impetu animi incitati, quæ beneficia æquè magna non ſunt habenda, atque ea, quæ judicio conſideratè conſtanterq; delata ſunt.*

*3. Obſervato modo*

3. Modus eſt ſervandus, & ita dandum egenti, ut ipſe non egeas. *Reſpiciendæ ſunt cuiq; facultates ſuæ vireſq;, ne*

*aut*

*aut plus præſtemus, quàm poſſumus, aut minus quàm debeamus l. 2. c. 15. Cumq; ſit utrinq; modus, æquè peccat, quod excedit, quam quod deficit ibid. c. 30.*

[*Contra eos, qui modum largiendo excedunt, Cic. 2. off. p. 44. Quid ſtultius, ait, quàm quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non poſſis? Vide quæ ibi porrò ſequuntur.*]

4. Sic demus, quemadmodum vellemus accipere. *Ante omnia libenter, citò, & ſine ulla tergiverſatione. Ingratum n. eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit l. 2. c. 1. Viciſsim beneficium, quamvis leve & vulgare, ſi obviam venit, & antequam interpellaris, offertur, multum ſibi adjicit, gratiamq; muneris lenti & diu cogitati, quamvis precioſi, vincit, ibid. c. 2.* 4. *Citò & libenter.*

5. Animo demus liberali ac fronte hilari, non vultu tetrico. *Quò refer ſequentia: L. 1. c. 1. Quis gratus adverſus eum eſſe poſſit, qui beneficium aut ſuperbè injecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, ut moleſtiâ careret, dedit? Libr. ejusd. c. 7. Nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parva liberaliter, qui exiguum tribuit, ſed libenter, qui paupertatis ſuæ oblitus eſt, dum meam reſpexit, qui non voluntatem tantùm juvandi habuit, ſed cupiditatem, qui accipere ſe-* 2. *liberaliter.*

„ *putavit beneficium, cum daret. Multò gra-*
„ *tiùs venit, quod facili, quam quod plena*
„ *manu venit L. 6. 9. Non eſt beneficium, niſi*
*quod à bona voluntate proficiſcitur.*

6. *Non expectatis precibus accipientis.*

6. Non nimis rogari nos patiamur, ſi quid dandum eſt. *Huc faciunt, quæ prolixè commemorantur l. 2. c. 1. 2. & 3. Nulla res cariùs conſtat quàm quæ precibus emta eſt. Item: Properet licèt, ſerò beneficium dedit, qui roganti dedit. Item: Moleſtum verbum eſt & oneroſum, demiſſoq; vultu dicendum, ROGO. Item Caſtiges illum, qui curiosè nimis rogavit, nec jure ſuo potius exegit.*

7. *non ægrè aut tardè.*

7. Non ægrè aut tardè demus. *Et in cunctatores quidem ſive dilatores beneficiorum iſthæc competunt: L. 1. c. 1. Eodem animo beneficium debetur, quo datur. Ideoq; non eſt negligenter dandum, ut vel dilatione laſſes petentem, aut expectatione eum torqueas. Sibi enim quisq; debet, quod à negligente accepit. Ibid. Non tardè dandum. Qui tardè dedit, diu noluit. L. 2. c. 5. Nihil æquè amarum, quam diu pendere. AEquiore*
„ *animo fertur, ſpem præcidi, quàm trahi.*
„ *Item: Injuriæ aulicorum præcipites, lentæ*
*beneficia ſunt. Quare veriſſimum exiſte-*

*ma,*

*ma, quod ille Comicus dixit:* Quid? tu non intelligis, tantum te gratiæ demere, quantum moræ adjicis? *Ibid. Omnis benignitas properet, & proprium eſt libenter facientis, citò facere. Qui tarde dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit; & tempus, & argumentum amicæ voluntatis. Tardè velle nolentis eſt, Refer huc Martialis epigramma 20. l. 6.*

Mutua te centum ſeſtertia, Phœbe, rogavi,
Cum mihi dixiſſes: Exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus,
Teq; decem crucias. Jam rogo, Phœbe, nega.

*Et libri 7. Epigr. 42.*

Primum eſt, ut præſtes, ſi quid te Cinna rogabo;
Illud deinde ſequens, ut citò Cinna neges.
Diligo præſtantem, non odi Cinna negantem.
Sed tu nec præſtas, nec citò Cinna negas.

8. Non ſuperbè aut contumelioſè. *L. 1. c. 2. Cum ita naturâ comparatum ſit, ut altius injuriæ quàm merita deſcendant, & illa citò defluant, has tenax memoria cuſtodiat: quid expectat, qui offendit, dum obligat? Satis adverſus illum gratus eſt, ſi beneficio ejus ignoſcit. Et c. 7. hujus libri: At id, quod dedit, magnum eſt! ſed dubitavit, ſed diſtulit, ſed ſuperbè dedit, ſed circumtulit, & placere ei, cui præſtabat, noluit.* *8. Non cum injuria aut cõtumeliaejus, cui datur.*

Ambitioni dedit, non mihi. L. 2. c. 4. Sunt qui beneficia aſperitate verborum & ſupercilio in odiũ adducunt, eo ſermone uſi, ea ſuperbia, ut impetraſſe pœniteat. Et c. 6. Non ſunt exaſperanda beneficia, nec quicquam illis
„ triſte miſcendum. L. 2. c. 7. Fabius Verru-
„ coſus beneficium ab homine duro aſperè da-
„ tum, panem lapidoſum vocabat, quem
„ eſurienti accipere, neceſſarium ſit, eſſe, acerbum. Et c. 11. Nihil æquè in beneficio dando vitandum eſt, quàm ſuperbia. Quid opus eſt arrogantiâ vultus? quid tumore verborum? ipſa res te extollit. Non tantum ingratum eſt, ſed & inviſum, ſuperbè datum beneficium.

9. Non avarè aut ſordidè

9. Nec avarè ſunt danda.

[Cic. Læl. p. 102. Benefici liberalesq́; ſumus, non ut exigamus gratiam (neque enim beneficium fœneramur) ſed naturâ propenſi ad liberalitatem ſumus.

Nam ut l. 1: c. 1 dicitur, demus beneficia, non fœneremus. Dignus eſt decipi, qui de recipiendo cogitavit, dum daret. c. 2. Beneficiorum ſimplex eſt ratio. Tantum erogatu. Si reddet aliquid, lucrum eſt: Si non reddet, damnum non eſt. Et mox: Turpis eſt fœneratio, beneficium expenſum ferre. L. 2. c. 31.

Qui

Qui beneficium dat, quid proponit? prodeſſe ei, cui dat & voluptati ſibi eſſe. Non ſibi invicem aliquid reddi velit, aut non fuit beneficium, ſed negotiatio. Et paulò pòſt: ſi ſperaſti emolumentum, cum dares, non fuit beneficium, cujus proprium eſt, nihil de reditu cogitare. L. 4 c. 3. Non recipiendi ſpe tribuenda ſunt beneficia. Aliâs locupletiſſimis, non digniſſimis eſſent danda. Iſtud non eſt beneficium, ſed fœnus, circumſpicere, non ubi optimè ponas, ſed ubi quæſtuoſiſſimè habeas, unde facilimè tollas. c. 14. Non eſt beneficium, quod in quæſtum mittitur. Hoc dabo, hoc accipiam, auctio eſt. Ibid. Beneficium qui dat ſpe futuri commodi, perinde facit, ut qui bovem aut porcum ſaginat; vel qui arbuſtis, quæ colit, benefacit, ne ſiccitate aut ſoli duritiâ laborent. Idem ferè repetit l. 6. c. 12. 10. Sine exprobratione.

10. Non cum exprobratione. L. 2. c. 10. Hæc beneficii lex a eſt inter duos: Alter ſtatim oblviſci debet dati; alter accepti nunquam. Lacerat animum & premit frequens meritorum commemoratio. Et cap. ſeq. Non eſt dicendum, quid retribuerimus. Qui admonet, repetit. Item: qui dedit beneficium, taceat, narret, qui accepit. Hac de re feſtiviſſimum

[a quomodo lex iſthæc ſit intelligendũ, docetur l. 7. c. 22.]

*num extat Epigramma Martialis 54. lib. 9.*

Quæ mihi præſtiteris, memini, ſemperque tenebo.
Cur igitur taceo, Poſthume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: Dixerat ipſe mihi.
Non bellè quædam faciunt duo. Sufficit unus
Huic operi. Si vis ut loquar ipſe, tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Poſthume, dona:
Autoris pereunt garrulitate ſui.

*II. nonnunquā ſecretò & tacitè.*

II. *Tandem ſcias*; non omnia palàm danda eſſe, ſed quædam rectius dari ſecretò & tacitè. *Palàm quidem dantur, quæ conſequi glorioſum eſt, ut: militaria dona, & honores, & quicquid aliud notitia pulcrius fit. Rurſus quæ non producunt, nec honeſtiorem faciunt, ſed occurrunt infirmitati, egeſtati, ignominiæ, tacitè danda ſunt, ut nota ſint ſolis illis, quibus proſunt. Interdum & ipſe, qui juvatur, fallendus eſt, ut habeat, nec à quo acceperit, ſciat. l. 2. c. 9.*

„ *Seq. cap. exemplum tacitè dantis proponitur*
„ *in Arceſilao, qui* (a) *amico pauperi & ægro-*
„ *tanti, cum paupertatem ſuam diſſimularet,*
„ *& pudore prohibitus nollet confiteri, deeſſe*
„ *ſibi ſumtum ad neceſſarios uſus, clam ſuccur-*
„ *rendum cenſuit. Ejus igitur pulvino, cum ta-*
„ *le quid non animadvertiſſet, ſacculum num-*

*mis*

*mis repletum ſubjecit*, ut homo inutiliter verecundus, quod deſiderabat, inveniret potiùs quàm acciperet. "
"
"

[(a) *Plut. de diſcr. adul. & amici. f. 61. dicit hunc fuiſſe Apellem Chium. Laertius l. 4. p. 278. Cteſibium eum nominat.*]

Atque hactenus de dandis beneficiis.

## CAPUT II.

## De accipiendis beneficiis.

*ALterum hoc caput docet, quomodo ſe gerere homines in accipiendis beneficiis debeant. Quamvis enim perquam facile videatur, accipere oblatum beneficium, non tamen eſt quod ſupervacaneum putes, hac etiam de parte nonnihil præcipere. Nam ut Seneca l. 1. c. 4. monet, docendi ſunt homines libenter accipere, libenter reddere. Et l. 2. c. 35. inquit: Vis reddere beneficium? benignè accipe. Retuliſti gratiam, Non ut ſolviſſe te putes, ſed ut ſecurior debeas. Obſerventur autem in hoc altero capite duo membra:* Vide Sen. l. 2. c. 18.

1. *à quibus ſint accipienda beneficia,*
2. *Quomodo?*

„ De Socrate refert autor l. 5. c. 6. quod ro-
„ gatus ab Archelao, ut veniret auferendi
„ muneris gratia, comparere noluerit, negans,
„ ſe ad eum venire debere, à quo acciperet be-
„ neficia, cum paria reddere non poſſit.

*Prætendit quidem iſthæc, ut facetus homo, cujus ſermo ut plurimum ſimulatus fuit, unde & εἴρων audiit. Verum, ut Seneca ait, maluit Regi vafrè, quàm ſuperbè ac contumaciter negare. Cum enim timeret, ne cogeretur accipere, quod nollet, aut quod ſe eſſet indignum, utpote Philoſopho, callidè dixit, ſe nolle beneficia ab eo accipere, cui gratiam referre neſciret.*

*A quib. accipienda ſunt beneficia.*

*Quandoquidem autem recta ratio ſuadet, non promiſcuè ab omnibus accipiendum eſſe, à quibus ergò accipiemus? Ab his, quibus dediſſe vellemus, inquit Seneca, l. 2. c. 18. Cui debemus, quam cui præſtemus beneficia,* eò quòd grave tormentum ſit, debere, cui nolis. *Contrà jucundiſſimum eſt, ab eo accepiſſe beneficiũ, quem amare, quem juvare poſſis. Quid? quòd, diligentiùs quærendum eſſe, præcipitur, beneficii, quàm pecuniæ, creditorem. Huic enim reddendum eſt, quantum*

tum accepiſti: Et ſi reddidiſti, ſolutus es ac liber. At illi plus ſolvendum eſt, & nihilominus etiam relatâ gratiâ cohæremus. Debemus, cum reddidimus, rurſus incipere, ut ſic gratia gratiam pariat.

Pertinet huc ſigmentum & picturæ Charitum ſive Gratiarum l. 1. c. 3.

Ut itaq; ſummatim dicam, accipere ab eo caveas, qui dat improbè, putâ, non niſi rogatus, & tardè, ſuperbè, ſordidè, cum exprobratione. Parùm digni ſunt, qui ſic dant, quibus debeas. Si itaq; res tui arbitrii eſt, ne ab illis accipe. Sin neceſſitas tollit arbitrium & electionem, ſcias, te non accipere, ſed parêre, cum repudiare metus prohibeat.

[Ab hoſtibus etiam dona acipere cave. ἐχθρῶν γδ̀ δῶρα ἄδωρα, τουλέσι κακόδωρα. Quæ ab iis dantur, qui male nobis cupiunt, exitio ſunt. Sophocl. Ajace flagell. v. 675.]

Referatur huc quæſtio ex l. 2. c. 21. an ab impudico aut impuro homine ſit accipiendum beneficium.

## II.

Modum accipiendi quod attinet, attendendum in eo eſt, quid honeſtum ac decorum, quid indecorum ac turpe habeatur. De utroq; haſce regulas nota: 1. de Decoro.

* 1. Beneficium qui dat, vult excipi gratè. Habet quod voluit, ſi bene acceptum eſt. l. 2. c. 31.

* Decorum in accipiendo ſervetur.

2. Hilares accipiamus, profitentes gaudium. Idq; danti manifeſtum ſit, ut fru-

ctum

*ctum præſentem capiat. Juſta enim cauſa lætitiæ eſt, lætum amicum videre: Juſtior feciſſe. ib. c. 22.*

3. Qui gratè beneficium accepit, primam ejus penſionem ſolvit, *Ibid.*

4. Qui gratus futurus eſt, ſtatim, dum accepit, de reddendo cogitat. *c. 25.*

5. Beneficium acceptum verbis augeri & commendari debet, & excuſari cùm tarditas ejus, tùm vilitas. *Nullum enim eſt tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas poſſit: Nullum tam anguſtum, quod non bonus interpres extendat, c. 28. Ibid. Verba quaſ. præit, ſic dicendum nobis, beneficii vilitatem excuſaturis, inquiens: Plus accipere debuiſſem, ſed illi facile non fuit, plus dare. In multos dividenda erat liberalitas. Hoc initium eſt. Boni conſulamus, & animum ejus gratè excipiendo evocemus. Parum fecit: ſed ſæpius faciet.*

6. Quem juvat accepiſſe, æquali perpetuaq; voluptate fruitur, & animum ejus, à quo accepit, non rem, intuens gaudet. Lætus expectat occaſionem referendæ gratiæ, nec quærit, quomodo decoquat beneficiū, ſed quemadmodum plenius uberiusque reſpondeat. *l. 3. c. 17.*

2. *Quid* indecorum *hac in parte habeatur, ſequentes regulæ explanent:* *Indecorum videtur*

1. Perperam accipit, qui, niſi ſecretò, accipere renuit. *Quod qui faciunt, in eos ſic invehitur autor l. 2. c. 23. Sunt quidam, qui nolunt, niſi ſecretò accipere: Teſtem beneficii & conſcium vitant. Sed malè. Quod pudet debere, ne acceperis. Quidam furtivè agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non eſt iſta verecundia, ſed inficiandi genus. Ingratus eſt, qui remotis arbitris agit gratias.*

2. Nec delicatè accipiendum eſt, nec ſubmiſsè & humiliter. *Nam qui negligens eſt in accipiendo, cum omne beneficium recens placeat; quid faciet, cum prima ejus voluptas refrixerit? ejusd. l. c. 24.*

3. Faſtidiosè etiam non eſt accipiendum, *veluti ſi dicas: non mihi opus eſt, ſed quia tam valdè vis, faciam tibi meam poteſtatem. Perperam, qui vix labra deduxit, cum accepit. Ingratior certè fuit, quàm ſi prorſus tacuiſſet.*

4. Abſit Φιλαυlία ſive cœcus amor ſui, cum quis ſe ſuaque miratur. *Nam cum nemo non benignus ſit ſui judex, pleriq;*

*exiſtimant,*

*exiſtimant, ſe omnia iſta jamdudum meruiſſe, & in ſolutum accipere, nec ſatis ſuo precio ſe æſtimatos putant. Hoc, inquiunt, mihi dedit; ſed quàm ſerò, ſed poſt quot labores! Quantò conſequi plura potuiſſem, ſi illum, aut me colere maluiſſem: Non hoc ſperaveram. In turbam conjectus ſum, tam exiguo dignum me judicavit. Honeſtius præteriri fuit. c. 26.*

6. Neque avarè accipias.

[*Referri huc poteſt c. 7. lib. 9. Eth. Nic. Ariſtotel. ubi quæſtio hæc ventilatur, quî fiat, quòd benefici magis ament eos, quos beneficiis affecerunt, quàm affecti illos, à quibus acceperunt.*]

*Non enim patitur aviditas quenquam eſſe gratum, nec unquam improbæ ſpei, quod datur, ſatis eſt. Eò majora cupit avarus, quò majora venerunt: cumprimis id locum habet etiam in ambitione, quæ & ipſa nunquam in honorib. conceßis acquieſcit. Nemo agit de Tribunatu gratias, ſed queritur, quòd non ad Præturam usq; eſt perductus. Neq; hæc grata eſt, ſi deeſt Conſulatus. Ne hic quidem ſatis eſt, ſi unus eſt. Ultrà ſe cupiditas porrigit, & felicitatem ſuam non intelligit. Quia non, unde venerit, reſpicit, ſed quò tendat. c. 27.*

6. *Omnib. his vehementius & importunius malum eſt* Invidia, *quæ* nos inquietat, dum

dum comparat. *Hoc mihi præſtitit, ſed illi plus; ſed illi maturiùs. Præteritis cæteris omnibus in ſe ſolum conferri beneficia invidus vellet, quia contra omnes ſibi ſoli favet.* ""
*Ibid.*

## CAPUT III.

## De reddendis Beneficiis.

*L. 2. c. 30. dicit Seneca: Non eſt, quòd quisquam excuſationem mentis ingratæ ab infirmitate atque inopiâ eruat, & dicat: Quid enim faciam, & quomodo? Quando ſuperioribus dominisq́ rerum omnium gratiam referam? Referre facile eſt: Si avarus es; ſine diſpendio: Si iners; ſine operâ. Eo quidem momento, quo obligatus es, ſi vis, cum quolibet paria feciſti. Quoniam qui libenter beneficium accepit, reddidit. Quæ verba primâ fronte videtur amplam ingratis præbere materiam, qua ſe purgent, ſi nullam pro acceptis beneficiis gratiam referunt, cum abundè ſuo ſe loco ſatis feciſſe hîc audiant, ſi libenter beneficium acceperint, licet de reddendo pari nunquam cogitent. Verùm perverſæ huic opinioni opponantur præcepta, quæ ſequuntur.*

*Non ſufficit, probè accepiſſe beneficium, ſed & de reddendo cogitatio inſtituatur.*

1. Qui

1. Qui accepit beneficium, licet animo benigniſſimo acceperit, non conſummavit officium ſuum. Reſtat enim pars reddendi *l. 2. c. 32.*

2. Voluntati (*benefactoris*) voluntate ſatis fecimus (*gratè accipientes*) Rei rem debemus *c. 35.*

3. Sæpè de reddendo cogites, ne tibi obrepat oblivio. *Quicquid frequens cogitatio exercet ac renovat, memoriæ nunquam ſubducitur, quæ nihil perdit, niſi ad quod non ſæpè reſpexit l. 3. c. 1. Quod debes, quære, cui reddas. Si nemo poſſet, ipſe te appella.*

4. Certamen tibi propoſitum ſcias, in quo enitaris non æquare tantùm, verùm etiam vincere eos, quibus obligatus es, *l. 1. c. 4. Nam ut l. 3. c. 36. dicitur: alacrior tum erit pietas, ſi ad reddenda beneficia* cum ſpe vincendi *venerit.*

*Partes tertii capitis quinq.*

*Cæterùm ut poſtremi hujus capitis Theoriæ tantò reddatur luculentior, in quinq. membra illam diſpeſcemus:*

1. Qui reddere beneficia debeant?
2. Quibus? 3. Quomodo? 4. Cur?
5 Num licitum ſit, repetere beneficia?

*I. Reddant*

I.

REddant beneficia, qui & haberi & eſſe volunt boni, hoc eſt, omnes tam egeni quàm divites, tam infimæ conditionis homines, quàm ſummi Viri. Utriq; enim grati eſſe & poſſunt & debent. Divites quidem ac potentes par pari reddendo, vel etiam amplius aliquid faciendo: egeni verò ac pauperes licet in arca non habeant, unde gratiam referant, animo tamen & operâ vicem rependere poſſunt. Cic. l. 2. off. p. 43. 44. Huc facit illud l. 4. c. 21. Duo ſunt genera grati hominis. Dicitur gratus, qui aliquid pro eo, quod acceperat, reddit. Hic fortaſſe oſtentare ſe poteſt: habet, quod jactet, quod proferat. Dicitur gratus qui bono animo accepit beneficium, bono debet. Hic intra conſcientiam occluſus eſt. Quid? quod ingratus ſæpè eſt, qui gratiam retulit, qui non retulit, gratus? Nam ut omnium aliarum virtutum, ita hujus quoque ad animum tota æſtimatio redit.

Qui reddere debeãt beneficia? omnes: Divites reipſa Pauperes animo atq; operâ.

II.

QUibus verò reddere debemus beneficia? Omnibus, etiam malis & improbis, ſi benè de te ſunt meriti. Nam ſi dignum talem quempiam judicaſti, à quo acciperes, ne in-

Quibus ſint reddendæ? Iterum omnibus.

dignum putas, ſi ſit reddendum. Si quid enim à ſano accepiſſes: inquit Seneca l. 7. c. 16. ægro nonné redderes? Cum plus ſemper imbecillo animo debeamus. Et hic æger eſt animo. Adjuvetur, feratur: Et cap. ſeq. Nemo te malum, quia ipſe eſt malus, faciat. Malo beneficium projiciam, bono reddam. Huic, quia debeo, illi, ne debeam.

Non tamen invitis & nolẽtibus.

Vides ita, præcluſam eſſe ingrato excuſationem, quæ aliorum malitiâ nititur. Quod ſi malis etiam reddere teneris: quantò magis bonis? Verùm hîc cautè agas, neceſſe eſt, ne invitis forſan & nolentibus reddendo, offendas eos potius quàm oblectes. Quid n. regi, quid diviti, tu inops & pauper reddas? Nec ejus felicitas nec tua infelicitas patitur, te gratiam referre. Non eſt referre gratiam, quod volens acceperis, nolenti reddere. Quidam, cum aliquod illis miſſum eſt munuſculum, ſubinde aliud intempeſtivè remittunt, & nihil ſe debere teſtantur. Rejiciendi genus eſt, protinus aliud invicem mittere & munus munere expungere l. 4. c. ult. In reddendis igitur beneficiis indigorum potiſſimum & calamitoſorum rationem habendam eſſe liquet, ut quibus ope

Calamitoſis maximè.

operaq;

operaq; tuâ quàm maximè opus eſt. His acceptorum beneficiorum memorem gratumq́; te præbeas.

Felicibus etiam tuam declarare potes gratitudinem, ſi non re, at conſilio & admonitionibus. l. 6. c. 29. Quàm multa ſunt, per quæ, quicquid debemus, reddere etiam felicibus poſſumus! fidele conſilium, aſsidua converſatio, ſermo comis & ſine adulatione jucundus, aures, ſi deliberare velit, diligentes, tutæ, ſecretæ, convictûs familiaritas. Neminem tam altè ſecunda poſuerunt, ut non illi eò magis amicus deſit, quia nihil abſit. Et c. 30. Omnia ſanè excluſerat opulenta felicitas: monſtrabo tibi, cuiq; rei inopiâ laborent magna faſtigia, quid omnia poſsidentibus deſit: Scilicet ille, qui verum dicat &c. Et cap, 33. Quæris, quid felici præſtare poſsis? Effice ne felicitati ſuæ credat, & ſtultam permanſuræ ſemper potentiæ fiduciam illi excute &c. Interdum etiam felicib.

Verùm hîc cavendum, ne ſi cum felicibus tibi res eſt, dum nimis gratus eſſe cupis, inſanire potius, quam gratitudinis laudem mereri videaris. Dupliciter enim peccatur à nonnullis: Quidam amicis, quibus obligati Non tamen illato priùs damno

ſunt, aliquid incommodi precari ſolent, quod poſtea avertant. Nonnulli vero ne inferre quidem mali quippiam verentur. Hi ad beneficium injuriâ veniunt, cum ſanctiùs ſit, vel ceſſare, quam per ſcelus officio locum quærere. De utriſque Seneca l 6. c. 25. Inhumana iſta & perversè grati animi natura eſt, contra eum optare, cui honeſtè deeſſe non poſſis. Et c. ſeq. Nequitia eſt, ut extrahas, mergere, evertere, ut ſuſcites; ut amittas, includere. Non eſt beneficium, injuriæ finis, nec unquam id detraxiſſe meritum eſt, quod ipſe, qui detraxit, intulerat. Non vulneres me, malo, quam ſanes. Potes inire gratiam, ſi, quia vulneratus ſum ſanes: non, ſi vulneras, ut ſanandus ſim. Cap. 26. ejusd. l. Satius eſt honeſta voluntate debere, quam per malam rationem ſolvere. Ibid. Peſſimè cum eo agis, cui vis à Diis noceri, à te ſuccurri. Iniquè cum ipſis Diis. Illis enim duriſſimas partes imponis, tibi humanas. Ut tu proſis, Dii nocebunt?

„ Vide etiam l. 6. c. 36. 37.

Quòd ſi quid precari aut optare benè de te meritis velis, docet Seneca l. c. 29. quæ vota tua eſſe debeant, nimirum: Opto in eo ſtatu ſit, quo ſemper beneficia diſtribuat, nunquam

*quam deſideret. Velut verbis Ovidii diceres:* ex 4. Tr. 5, 26.

Sic ope non egeas ipſe, juvesque alios.

*Vide quæ porrò ibi Seneca addit de piis ejusmodi votis, quæ & ipſa gratum aliquem in uno eodemq́ momento, quo beneficium accipit, faciunt.*

## III.

*Quomodo reddẽda ſunt beneficia?*

*MOdus reddendi beneficia, duplici ratione oſtenditur, Negativè & affirmativè.* Negativè ἢ κατ᾽ ἀφαίρεσιν: *Abſit lucri cupiditas. Quod ſi captas, gratus eſſe nequis.* (*1. Absque lucri cupiditate.*) *Abſit ambitio. Nam quæ jactatio eſt, ſolviſſe quod debebas?* (*2. Sine ambitione.*) *Metus item abſit. Placet ſuapte naturâ gratitudo, quæ* gratioſa virtus eſt. *Ingratum voco, quisquis metu gratus eſt l. 4. c. 17. & 18.* (*3. Sine metu.*) *Tandem etiam vitanda eſt nimia feſtinatio, quæ & ipſa argumentum eſt ingrati animi, cum non reddat, ſed effugiat beneficium, qui obligatus eſſe renuit L. 6. c. 35. 42. 43.* (*4. Nec nimis properè*)

*[Ubi dicit: Non eſt trepidandum, quam citò reponamus, nec properandum intempeſtivè: Quia æquè delinquit, qui ad referendam gratiam properat tempore alieno, quàm qui ſuo ceſſat.*

Affirmativè: *L. 1. c. 1. Reddit beneficium. qui libenter debet, id eſt, qui alia ratione gratiam referre non poteſt, voluntate* (*5. Obſervato tẽpore.*)

ſaltem & confeſſione gratus ſit. Ante omnia diſcamus ſecurè debere l. 6. c. 42. & occaſiones reddendorum beneficiorum obſervare, non manu facere, l. 6. c. 41. Ad reddendam enim gratiam tempore opus eſt & facultate l. 3. c. 2. Nec refert, num idem des. Sufficit, ſi tantundem, cum omnis ſolutio non idem reddat, ſed quod ejusdem eſt valoris l. 6. c. 5. Interdum ſolo animo grati ſumus, cum in locum rei ſuccedit voluntas propenſa & cupida reddendi. l. 7. c. 15. A potentioribus beneficiis vinci, ne turpe ducas l. 5. c. 4. Cum paribus certes, ſiq; ſuperior illis eſſe potes, præclarum puta. Quo pertinet aurea hæc Ciceronis ſententia 1. off. p. 10. Nullum officium referendâ gratiâ magis neceſſarium eſt.
1. ἔργ. 348. Quòd ſi ea quæ acceperis utenda, majore menſura (ſi modò poſſis) jubet reddere Heſiodus, quidnam beneficio provocati facere debent? an non imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quàm acceperunt.

[Ad tertium hoc membrum referri poteſt Quæſtio. Num parentibus liberi majora dare poſſint beneficia; quàm acceperint, ex l. 3. c. 29. & ſeqq.]

IV.

Cur referēda gratia.

CUr verò reddam, inquias, beneficia? Quia honeſtum eſt, Quia utile.

Honeſtum

Honeſtum. *Quid n. tam laudabale, quid tam æqualiter in omnium animos receptum, quàm referre benè meritis gratiam l. 4. c. 16. & c. 19. Quid eſt honeſtius, quàm gratum eſſe. Hujus virtutis materia tam latè patet, quam vita.* *Quia honeſtũ*

Utile. *Quia qui gratus eſt, hoc commodi inde habet, quod res hæc alios ei amicos, alia beneficia conciliet. ibid. c. 20.* *Quia utile.*

V.

Num beneficia etiam repetere licet? *ex l. 5. c. 20.*

*Sunt qui negent, his adducti rationibus:*

*1. Indignus etiam repetenti non reddet: dignus per ſe referet.*

*2. Si bono viro dediſti, expecta, ne injuriam facias appellando: tanquam non fuiſſet ſua ſponte redditurus: Si malo viro dediſti, fer. Beneficium verbo ne corruperis, creditum faciendo.*

*3. Lex quia non juſsit repeti, vetuit, Item Lex, non permittendo exigere, vetat.*

*Ad quas objectiones quid reſpondendum ſit, prolixè monſtrat autor poſtremis ſex capitibus libri 5. ex quibus notabiliora excerpemus:*

*Recipiendi beneficii neceſsitas, repetendi verecundiam vincet. Proinde, cum bono* *Rationes quibus probatur*

 *viro*

pars negans, refellũtur. viro beneficium do, ſic do, tanquam nunquam repetiturus, niſi neceſſe fuerit l. 5. c. 20. Ex beneficio, inquias, creditum facis? Minimè. Non enim exigo, ſed repeto quidem, ſed admoneo. Qui tam ingratus eſt, ut illi non ſit ſatis admoneri, eum tranſibo, nec dignum judicabo, qui gratus eſſe cogatur. Ibid. c. 21.

Cap. 22. Multi ſunt, qui nec negare ſciant, quod acceperunt, nec referre: qui nec tam boni ſunt, quam grati, nec tam mali, quam ingrati, ſegnes & tardi; lenta nomina, non mala. Hos ego non appellabo, ſed commonefaciam & ad officium aliud agentes educam, qui ſtatim mihi ſic reſpondebunt. Ignoſce, non me hercule ſcivi, hoc te deſiderare; alioquin ultrò obtuliſſem. Rogo, ne me ingratum exiſtimes; memini, quid mihi præſtiteris. Hos ego quare dubitem & ſibi meliores & mihi facere? Quemcunq; potuero, peccare prohibeo: Multò magis, amicum, & ne peccet, & ne in me potiſſimùm peccet. Alterum illi beneficium do, ſi illum ingratum eſſe non patior, nec durè illi exprobrabo, quæ præſtiti, ſed quam potero molliſſimè. Ut poteſtatem referendæ gratiæ faciam, renovabo memoriam ejus, ut petam beneficium, ipſe me repetere intelliget &c.

Cap. 23.

Cap. 23. Quidam ut expergiſcantur, non feriendi, ſed commovendi ſunt: Eodem modo quorundam ad referendam gratiam fides non ceſſat, ſed languet. Hanc pervellamus. Noli munus tuum in injuriam vertere. Injuria eſt enim, ſi in hoc non repetis, ut ingratus ſim. Quid, ſi ignoro, quid deſideres? Quid ſi occupationibus diſtrictus, & in alia vocatus, occaſionem non obſervavi? Oſtende mihi, quid poſſim, quid velis. Quare deſperas, antequam tentas? Quare properas & beneficium & amicum perdere? Unde ſcis, nolim, an ignorem; animus, an facultas deſit mihi? Experire. Admonebo ergo, non amarè, non palàm, ſine convicio: Sic, ut ſe rediſſe in memoriam, non reduci, putet.

Cap. 25. Quid ergo? non repeteret beneficium ab Imperatore miles, cujus memoriam multitudo rerum confuderat? Quem fortuna ingens, exercitus diſponentem, non patiebatur ſingulis militibus occurrere? Non eſt hoc repetere beneficium, ſed reſumere bono loco poſitum & paratum. Ad quod tamen ut ſumatur, manus porrigenda eſt. Repetam itaq; quia hoc aut neceſſitate facturus ero, aut illius cauſa, à quo repetam.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-620769-p0043-5

,, *Tiberius Cæſar inter initia dicenti cui-*
,, *dam,* Meminiſti, *antequam plures notas*
,, *familiaritatis veteris proferret:* Non
,, memini, *inquit,* qui fuerim. *Ab hoc*
,, *nedum eſſet repetendum beneficium, op-*
,, *tanda erat oblivio. Averſabatur omnium*
,, *amicorum & æqualium notitiam, & illam*
,, *ſolam præſentem fortunam ſuam aſpici,*
,, *illam ſolã cogitari ac narrari volebat, &c.*

*riola, qua cõprobatur veritas ſermone triti proverbii: Honores mutãt mores.*

*Et poſt aliquot interjectas lineas: Ineſt interim animi voluntas bona: ſed torpet, modò deliciis ac ſitu, modò officii inſcitiâ. Hanc utilem facere debemus: nec irati relinquere in vitio, ſed ut magiſtri puerorum diſcentium patienter ferre offenſationes memoriæ labentis, quæ quemadmodum ſubjecto uno aut altero verbo ad contextum reddendæ orationis adducta eſt: ſic ad referendam gratiam admonitione revocanda eſt.*

*Admonendi amici, ut à præceptorib. diſcipuli, de iis quæ memoriâ exciderũt*

*Idem hoc thema tractatur etiam libro 7. in cujus cap. 23. inter alia ſic dicitur: Quoties parum fiduciæ eſt in his, quibus imperas, amplius eſt exigendũ, quam ſatis eſt, ut præſtetur, quantum ſatis eſt. In hoc omnis hyperbole excedit, ut ad verum mendacio veniat &c. Item: Nunquam tantum ſperat*

*hyperbole*

*hyperbole, quantum audet; ſed incredibilia affirmet, ut ad credibilia perveniat. Sic cum dicimus:* Qui beneficium dedit, oblivi-ſcatur, *hoc dicimus: ſimilis ſit oblito. Memoria ejus non appareat, nec incurrat. Cum dicimus, beneficium repeti non oportere, non ex toto repetitionem tollimus. Sæpè enim opus eſt malis exactore; etiam bonis, admonitore. Quid ergo? occaſionem ignoranti non oſtendam? neceßitates illi meas non detegam? quare neſciſſe ſe aut mentiatur aut doleat? Interveniat aliquando admonitio, ſed verecunda, quæ non poſcat, nec in jus vocet.*

*Et cap. 24.* Socrates *amicis audientibus:* “
Emiſſem, *inquit*, pallium, ſi nummos “
haberem. *Neminem popoſcit, omnes admonuit, à quo acciperet, ambitus fuit. Quid ni eſſet? Quantulum enim erat, quod Socrates accipiebat? Ut multum erat, fuiſſe, (a) à quo Socrates acciperet, non illos caſtigare mollius potuit. Emiſſem, inquit, pallium, ſi nummos haberem. Poſt hæc quisquis properaverit, ſerò dat. Jam Socrati defuit.* Propter acerbos exactores repetere prohibemus, non ut nunquam fiat, ſed ut parcè.

(a) *Eraſmi editio habet: emeruiſſe.*

*Cap. 25.*

„ *Cap. 25.* Ariſtippus, *aliquando dele-*
„ *ctatus unguento*, Male, *inquit*, iſtis effe-
„ minatis eveniat, qui rem tam bellam
„ infamaverunt. *Idem dicendum eſt: Malè*
*iſtis improbis & importunis beneficiorum*
*ſuorum quadruplatoribus eveniat, qui tam*
*bellam rem, admonitionem inter amicos ſu-*
*ſtulerunt. Ego tamen utar hoc jure amicitiæ,*
*& beneficium ab eo repetam, à quo petiſſem,*
qui alterius beneficii loco accepturus
eſt, potuiſſe redere. *Nunquam, ne querens*
*quidem, dicam:*

4. Æn. 373. ——ejectum litore egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi.

*Non eſt iſta admonitio, non: convicium eſt.*
„ *Hoc eſt in odium beneficia perducere. Hoc eſt*
„ *efficere, ut ingratũ eſſe, aut liceat, aut juvet.*
*Satis abundeq; eſt, ſubmiſſis & familiaribus*
*verbis in memoriam revocare:*

Ibid. v. 317. Si benè quid te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum.

*Ille invicem dicat: Quid-*
*ni merueris? ejectum litore egentem ex-*
*cepiſti.*

Colopho-

## *Colophonis loco ſubjicere libet* Ζήτημα πολιτικὸν:

Quare, cum in reliqua vitia ferè omnia pœna conſtituta ſit, ſola ingratitudo impunita relinquatur? Ex lib. 3. capp. 6. 7. 8. 9.

*Rationes, quare in ingratos ſit animadvertendum, hæ ſunt:*

*1. Quia nullum vitium tam fœdum eſt & abominabile, nullum tam inviſum, quàm ingratitudo.*

*2. Quia Seneca autor eſt, apud Medos datam fuiſſe adverſus ingratum actionem.* fol. 222.

*3. Plutarchus in Apophth. Lacon. refert, Hippocratidam interrogatum à Satrapa quodam, quid Lacedæmonio iſti facturus eſſet, qui inſidiarum, quas quidem ipſi ſtruxerat, conſcius, rem non indicaret, reſpondiſſe: Si quo magno beneficio illum affeciſti, interfice; Sin minus, ejice è regione, ut hominem, ob timiditatem, ineptum ad virtutem. Qui certè ingratitudinem erga benemeritũ morte mulctandam cenſuit.*

*Contrà, quod adverſus ingratum nulla nec poſſit nec debeat admitti actio, ſic probari poteſt:*

1. Cum

*1. Cum ipſa natura ſatis caverit, ut benè meritis gratia referretur, non poſita eſt lex in ingratitudinem, ſicut nec lex extat, quæ parentes amare, indulgere liberis, jubeat.*

*2 Sicut nemo in amorem ſui cohortandus eſt, ita ne ad hoc quidem vi compellendi homines ſunt, quod per ſe expetendum eſt. Per ſe a. expetenda eſt, ut honeſtas alia omnis, ita & gratitudo. Per ſe fugienda eſt omnis turpitudo, atq; adeo etiam ingratitudo.*

*3. Cum res honeſtiſſima ſit, referre gratiam, deſinit eſſe honeſta, ſi ſit neceſſaria, ita ut beneficium reddat, non quia vult, ſed quia neceſſe eſt.*

*4. Non glorioſa res eſt, gratum eſſe, niſi tutum eſſet, fuiſſe ingratum.*

*5. Si utiq; lex hac de re fuiſſet ferenda, huic uni actioni vix fore omnia ſufficerent. Quis enim futurus eſſet, qui non ageret? Quis, cum quo non ageretur?*

*6. Nullus inveniretur judex rei huic ſatis idoneus, cum dandi accipiendiq; beneficii non eadem ſit ratio, & ab alio aliter, cum data, tum accepta æſtimari ſoleant.*

*7. Nec pœna certa conſtitui poteſt ingratis. Vel enim non conſtituenda foret omnibus. Vel inæqualis, & pro cujusq; beneficio*

*major aut minor. Una conſtitui nequit, quia diſparia beneficia ſunt. Inæqualis conſtitui non debet, quia ſi minor, iniqua eſt: ſi major & capitalis, quid inhumanius, quàm cruentos eſſe beneficiorum exitus.*

ἘΠΊΚΡΙΣΙΣ.

*FRequentiſsimum hoc crimen licet nusquam puniatur, ubique tamen improbatur. Neque abſolvimus illud, ſed cum difficilis eſſet incertæ rei æſtimatio, tantum odio damnavimus, & inter ea reliquimus, quæ ad vindices (a) Deos remittuntur. Taceo quod ipſi ingrati ſibi pœna ſint, cum, à quibus in poſterum beneficiis afficiantur, non facilè amplius reperiant.*

*(a) Subſtitue, qui averſaris πολυθεΐαν gentilium: ad vindicem Deum,*

δόξα μόνῳ τῷ Θεῷ

## Centuria
# APOPHTHEGMATUM PLUTARCHI INSIGNIORUM: GRÆCORUM ROMANORUM & LACONICORUM.

I.

*Plut. Moral. f. 173. edit. recentioris latinogræca.*

CUm ab ARTAXERXE *cubiculariorum quiſpiam injuſtum aliquid petiiſſet, idq́ue Rex intellexiſſet, fieri, impetrandorum quadragies mille Daricorum gratiâ, Quæſtorem ſuum afferre juſſit eam pecuniam, allatamq́ue cubiculario tradidit, inquiens:* Λάβε, ὦ Σατιβαρζάνη. ταῦτα μὲν γὰρ δοὺς οὐκ ἔσομαι πενέστερος. ἐκεῖνα δὲ πράξας, ἀδικώτερος. Hem accipe Satibarzana. Hoc enim largitus nihilo pauperior fuero; Illud vero ſi feciſſem, eſſem injuſtior.

II.

*f. 174.*

ORONTES *Regis Artaxerxis gener, ignominiâ à rege irato affectus ac damnatus, dixit*: Quemadmodum digiti rationes ſupputantium modò decem millium numerum, modò unitatem, repræſentant: Ita regum amicos aliquando

quando ſummo, mox infimo haberi loco. Καθάπερ οἱ τῶν ἀριθμητικῶν δάκτυλοι νῦν μὲν μυριάδας, νῦν δὲ μονάδα τιθέναι δύνανται. Τὸ αὐτὸ καὶ τοὺς τῶν βασιλέων φίλους νῦν μὲν τὸ πᾶν δύνασθαι, νῦν δὲ τοὐλάχιστον. (*Laërtius, ſimile quid Soloni tribuit in ejus vita l. 1. p. 39. quod is calculis, quibus in componendis rationibus utimur, comparare conſueverit eos, qui apud Tyrannos autoritate valerent. Ut enim illi interdum majorem numerum, interdum minorem ſignificant: Ita & tyrannos horum quemq;, prout libitum fuerit, aliquando illuſtrem & inclytum, aliquando obſcurum habere & ignobilem.)*

III.

MEMNON, *qui Darii exercitum adverſus Alexandrum duxit, militem quendam mercenarium ſuum, qui multis & impuris conviciis Alexandrum proſcindebat, lanceâ feriens*, Ego, *inquit*, te alo, non ut maledicas Alexandro, ſed ut contra eum pugnes. Ἐγώ σε τρέφω μαχούμενον, ἀλλ' οὐ λοιδορούμενον Ἀλεξάνδρῳ.

IV.

COTYS, *naturâ iracundus* (ὀξὺς εἰς ὀργὴν) *acerbeq; in miniſtrorum delicta animadver-*

*tens cum hoſpes quidam fictilia ei vaſa attuliſſet admodùm fragilia, ſed eleganter tamen & ſubtiliter ſculpturis cælaturisq; adornata, donis quidem affecit ipſum, ſed vaſa iſta omnia confregit, quod* vereri ſe diceret, ne miniſtros, ſi ea fortè confringerent, ſæviùs puniret. ὅπως μὴ δι᾽ ὀργὴν πικρότερον κολάζω τοὺς συντρίβοντας. (*Conferantur cum his duo illa exempla frenandæ iræ, nempe Archytæ Tarentini, & Platonis, ab autore citata libell.* περὶ παιδ. ἀγωγ. *f. 10.*)

V.

*f. 175.* HIERO, *omnes eos, qui arcanum nunciarent,* (τοὺς ἀπόῤῥητον λόγον ἐκφέροντας) *iis quoque injuriam facere dicebat, quibus tale quid patefacerent.* Μισοῦμεν γὰρ οὐ μόνον τοὺς ἐκφέροντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀκούσαντας, ἃ μὴ βουλόμεθα. Neq; enim eos modò, qui efferunt, ſed hos quoque odimus, qui inaudiunt, quæ nolumus.

VI.

*Citat. Philip- Camerar. part. 1. homer. ſucciſ. c. 51.*

*Exprobraverat ei quidam oris fœtorem* (δυσωδίαν τοῦ στόματος) *Itaq; uxorem ſuam culpavit, quod nunquam id ſibi indicaſſet. Illa vero ita ſe excuſavit, quod diceret:* ᾤμην γὰρ τοιοῦτον ἅπαντας τοὺς ἄνδρας ὄζειν. Putabam

omnes

omnes viros hoc modo olere. (*Simile quid refert D. Hieron. l. 1. adverſus Jovinianum T. 3 f. 23. Duellius qui primus Romæ navali certamine triumphavit, Biliam virginem duxit uxorem, tantæ pudicitiæ, ut illo quoque ſeculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monſtrum erat, non vitium. Is jam ſenex & trementi corpore in quodam jurgio audivit exprobrari ſibi os fœtidum, & triſtis ſe domum contulit. Cumq; uxori queſtus eſſet quare nunquam ſe monuiſſet, ut huic vitio mederetur, feciſſem, inquit illa niſi putaſſem omnibus viris ſic os olere. Laudanda in utroq; pudica & nobilis femina, & ſi ignoraverit vitium viri, & ſi patienter tulit: Et quod maritus infelicitatem corporis ſui, non uxoris faſtidio, ſed maledicto ſenſit inimici.*)

VII.

DIONYSIUS JUNIOR *exutus tyrannide ei quidem, qui, quid utilitatis Plato & Philoſophia contuliſſent, interrogabat, reſpondit:* τὸ τηλικαύτην τύχης μεταβολὴν ῥᾳδίως ὑπομένειν. ut tantam mutationem fortunæ æquo poſſem animo ferre. *Quærenti autem qui factum ſit, ut pater ipſius, pauper & plebejus, imperium* f. 176.

 *in Syra-*

*in Syracuſanos obtinuerit, ipſe tyrannus & tyranni filius id amiſerit?* Pater, *inquit*, meus ad res gerendas ſe contulit, cum popularis Reip. ſtatus eſſet in odio; Ego, cum tyrannidi invideretur, ὁ μὲν πατὴρ μισουμένης δημοκρατίας ἐπέστη τοῖς πράγμασιν. Ἐγὼ δὲ φθονουμένης τυραννίδος: *Et alteri hoc ipſum ſciſcitanti reſpondit:* ὁ πατήρ μοι τὴν τυραννίδα τὴν ἑαυτοῦ κατέλιπεν, οὐ τὴν τύχην. Non fortunæ ſed tyrannidis paternæ, ſum relictus hæres.

VIII.

AGATHOCLES *filius figuli cum induſtriâ & fortitudine ſuâ Rex Siciliæ factus eſſet, ne ex inſolentia, originis oblivionem indueret, ex fictilibus vaſis cibum cepit ac bibit. Quod Auſonius elegantiſſimo Epigrammate expoſuit:*

*Epigram. 8.*

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem,
Atque abacum Samio ſæpè oneraſſe luto;
Fercula gemmatis cum poneret horrida vaſis,
Et miſceret opes, pauperiemque ſimul:
Quærenti cauſam, reſpondit: Rex ego qui ſum,
Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.
*Fortunam reverenter habe; quicunque repentè* "
*Dives ab exili progrediere loco.* "

*Exhortatio ad modeſtiã.*

*(Sic* WILLIGIS *Archiepiſcopus Moguntinus, anno Chriſti 988. electus, ut ſor-*

*tis ſuæ*

*tis ſuæ, ex qua emerſerat, nunquam non memor eſſet, rotam paſſim pinxit, ut eam in conſpectu haberet, & hanc inſcriptionem addidit:* Willigis Willigis, recole, unde veneris. Willigis Willigis nicht vergiß / dein Vater ein Wagner geweſen iſt. *Dreſſerus part. 4. hiſtor. p. 61. 62.*)

IX.

*Accuſarant aliquando Ithacenſes* AGATHOCLIS *nautas, quod ad inſulam appellentes nonnihil pecoris abſtuliſſent.* At qui, *inquit* AGATHOCLES, cum ad nos veniſſet veſter Rex, non ovibus tantùm ablatis, ſed excœcato inſuper paſtore abiit, *Vlyſſem intelligens, qui Polyphemum oculo, quem in fronte habuit unicum, privavit, (de quo Homerus Odyſſ. 1. Virg. Æn. 3. Eurip. in Cyclope.)*

X.

*Ad* PHILIPPUM *Regem Macedoniæ, Alexandri M. parentem deferebat quiſpiam Nicanorem, ut qui ſemper Regi verbis detraheret, putabantq́ amici, accerſendum eſſe hominem & ſupplicio afficiendum. Tum Philippus,* profectò *ait*, Nicanor non eſt deterrimus Macedo- f. 177.

 num,

num, conſiderandumq́; eſt, ne penes nos aliqua ſit culpa. *Cognitoq́, Nicanorem gravi premi inopiâ neglectum à ſe, dono aliquo juſsit affici. Rurſum narratur Regi, miris ipſum laudibus à Nicanore paſsim ferri. Ibi*, videtis, *inquit*, in noſtra eſſe poteſtate, vel benè vel malè audire, ὁρᾶτε οὖν, εἶπεν, ὅτι πρὸς ἡμᾶς αὐτὸς δεῖ, καὶ τὸ καλῶς καὶ τὸ κακῶς ἀκούειν.

XI.

*Duo erant fratres* Ἀμφότερος. Uterq; & Ἑκάτερος Alteruter. Ἐ *quibus cum hunc videret Philippus prudentem & rebus agendis aptum; illum fatuum ac ſtolidum*; Alteruter, *inquit*, Uterque eſt; Uterque autem neuter. ἔφη, τὸν μὲν Ἑκάτερον ἀμφότερον εἶναι, τὸν δὲ ἀμφότερον, οὐδέτερον. (*Idem ferè eſt cum illo Crœſi, cui cum duo eſſent filij, unus ſurdus & mutus, alter verbis factisq́; expeditus, hunc ſic eſt allocutus*: εἷς μοι μοῦνος τυγχάνεις ἐὼν παῖς. τὸν γὰρ δὴ ἕτερον, διεφθαρμένον τὴν ἀκοὴν καὶ ἄφωνον οὐκ εἶναί μοι λογίζομαι. Filius mihi es unicus. Namq; alterum auribus captum & mutum pro nullo exiſtimo. *Herodot. lib. 1. fol. 17.*

*Caſtellum*

XII.

*Caſtellum quoddam munitum occupare* f. 178.
*ſtatuerat* PHILIPPUS MACEDO. *Ibi exploratoribus referentibus, planè expugnari non poſſe*: Eſtne, *ait*, adeò inacceſſum, ut eò aurum portans aſinus non poſſit pervenire? (*Cic. 1. ad Att. 13. Apophthegma hoc ſic effert*: Philippus omnia Caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modò aſellus, onuſtus auro poſſet aſcendere.. *Reſpondet oraculo Delphis ei reddito*: ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις.

*Argenteis pugna telis, atq; omnia vinces. Suid. in α Cui* ὁμόψηφον *eſt illud Alcameni & Theopompo Spartæ regibus datum*: ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ἕλοι, ἄλλο δ' οὐδέν *Avaritia perdet Spartam, aliudq; nihil, ut eſt apud Plut. in inſtit. Lacon. fol. 239.*)

XIII.

LASTHENES OLYNTHIUS *& ſocij indignabantur conquerebanturq́;, quod nonnulli de Philippi comitatu* prodi-tores *ipſos appellarent. Ad hac* Philippus: Rudes & agreſtes homines eſſe Macedones, ac ſolere ſcapham ſcapham, (h. e. ſuo quodq; vocabulo) nominare.

XIV.

*Idem* PHILIPPUS *incuſari ſe audiens ab Alexandro filio, quod liberos ex pluribus ſuſciperet mulieribus, ita eum refellit:* οὐ κοῦν πολλοὺς ἔχων περὶ τῆς βασιλείας ἀνταγωνιστὰς, γένου καλὸς κἀγαθὸς, ἵνα μὴ δι' ἐμὲ τῆς βασιλείας τύχῃς, ἀλλὰ διὰ σεαυτόν. Quin tu multos nactus de regno tecum certaturos, virtuti operam da, ut eo non propter me, ſed propter te potiaris. *Juſſitq́ eum Ariſtoteli animum advertere & philoſophari,* ne *inquiens,* multa talia facias, ob quæ ego commiſſa pœnitudine moveor. ὅπως (ἔφη) μὴ πολλὰ τοιαῦτα πράξῃς, ἐφ' οἷς ἐγὼ πεπραγμένοις μεταμέλομαι.

XV.

*Cooptaret in Judicum collegium amicum quendam Antipatri. Sentiens a. eum barbam caputq́ tingere, removit, quod diceret,* fidelem in negociis tractandis eum ſe non cenſere, qui malâ fide crines tractaret. Τὸν ἄπιστον ἐν θριξὶ μὴ νομίζω ἀξιόπιστον ἐν πράγμασιν. (*Quemadmodum & Clemens Alex. l. 3. pæd. c. 3. de ejus farinæ hominibus* καλλωπιζομένοις *judicat:* οὐκ ἔστιν, *inquiens,*

*inquiens*, οὐκ ἔστιν ἀληθινὴν ἐνδεικνύναι τὴν ψυχὴν, τὸν κίβδηλον ἔχοντα κεφαλήν: fieri non poteſt, non poteſt inquam fieri, ut veram oſtendat animam, qui caput habet adulterinum. *Vel ut ex Plat. in Lyſide gol. 506. diceres:* εἴ τις ξανθὰς οὔσας τὰς τρίχας ψιμμυθίῳ ἀλείψειε, *qui comas, flavæ cum ſint, ceruſſa fucat, ut albæ fiant.*)

XVI.

*Judicio præerat* MACHÆTÆ *cujusdam, dormitansq́ non obſervabat, quibus ille juribus ſe tueretur. Ideoq́ damnabat. Tum exclamante Machæta,* ſe provocare. *Iratus*, ad quem, *inquit*, provocas? ad teipſum, *ait, ille*, ô Rex; ſiquidem vigilans & attentus audias. *Ibi excitatus Philippus, cum ad ſe rectius rediiſſet, ſentiretq́ injuriam Machætæ fieri, non reſcidit quidem ſententiam, ſed mulctam reo imperatam de ſuo perſolvit.*

XVII.

ALEXANDER *puer etiamnum*, f. 179.
*Philippo multas præclarè gerente res, non eſt gaviſus, ſed pueris, qui unà educabantur, dixit:* ἐμοὶ δὲ ὁ πατὴρ οὐδὲν ἀπολείψει. Pater mihi nihil faciet reliquum. *Cumq́ reſpōderent:* ταῦτά σοι κτᾶται, *hæc tibi parantur; ſubjecit?*

*ſubjecit?* τί δὴ ὄφελος, ἐὰν ἔχω μὲν πολλὰ, πράξω δὴ οὐδέν; Quorſum proderunt, ſi poſſideam multa, agam nihil?

XVIII.

*Diis adolenti liberaliùs, ac ſæpe thus corripienti, aſtans* LEONIDAS *pædagogus, ſic, inquit, largiter tibi, Fili, adolentum erit, ubi thuriferam regionem in tuam redegeris poteſtatem.* Alexander *eâ potitus per literas eum ſic compellavit:* ἀπέσταλκά σοι τάλαντα ἑκατὸν λιβανωτοῦ καὶ κασίας, ἵνα μηκέτι μικρολογῇ πρὸς τοὺς θεοὺς, εἰδὼς, ὅτι καὶ τῆς ἀρωματοφόρου κρατοῦμεν, Talenta aliquot thuris & caſiæ tibi mitto, ut, me thuriferæ etiam regionis dominum factum ſciens, ſordidus erga Deos eſſe deſinas. *(Paulò aliter commemoratur in vita Alexandri f. 679. Plinius l. 12. c. 14. ſic: Alexandro M. in pueritia ſine parſimonia thura ingerenti aris, pædagogus Leonides dixerat, ut illo modo, cum deviciſſet thuriferas gentes, ſupplicaret. At ille Arabiâ potitus, thure onuſtam navem miſit ei, exhortatus, ut largè Deos adoraret.)*

XIX.

*Amicorum quodam* PERILLO *dotem filiabus petenti, 50. talenta obtulit*

Alex-

Alexander. *Cumq́; is ſufficere decem dece-ret*, Tibi, *inquit*, accipere tantum, ſatis eſt: mihi dare, non item. Σοί γε, ἔφη, λαβεῖν, ἐμοὶ δ᾽ οὐχ ἱκανὰ δοῦναι. *Munificum hoc reſponſum opponatur ſordido cavillo Antigoni apud Senecam 2. de Bene f. 17. Cum enim Cynicus talentum ab eo petiiſſet, reſpondit, plus eſſe quàm quod Cynicus petere deberet. Repulſus petiit denarium. Sed regeritur ipſi, minus eſſe, quàm quod regem deceret dare. Quod Plutarchus fol. 182. ſic effert.* Θρασύλλου τοῦ Κυνικοῦ δραχμὴν αἰτήσαντος αὐτὸν (Αντίγονον) ἀλλ᾽ οὐ βασιλικὸν, εἶπε, τὸ δόμα. τοῦ δ᾽ εἰπόντος. οὐκοῦν τάλαντον δός μοι· ἀλλ᾽ οὐ κυνικὸν ἔφη, τὸ λῆμμα. *Thraſyllo Cynico denarium poſcenti, reſpondit Antigonus: Rege dignum non eſt hoc donum. Subjicienti, Da ergo talentum? retulit; captura hæc non eſt Cynonico conveniens. Vide & Plut.* περὶ δυσωπίας *de vitioſo pudore f. 531.*

## XX.

*Regina Cariæ* ADA *cibos & bellaria curioſiſſimo artificio à cupediariis & coquis apparata ad* Alexandrum *miſit ſtudio quodam oſtentandi. Ille vero dixit*: Meliores ſibi coquos eſſe, iter quidem nocturnum, quo prandium, parcitatem verò prandii, f. 180.

prandii, qua cœnam ſibi ſuavem redderet. Ἔφη κρείττονας ἔχειν αὐτὸν ὀψοποιοὺς, πρὸς μὲν ἄριστον τὴν νυκτοπορίαν. Πρὸς δὲ δεῖπνον, τὴν ὀλιγαριστίαν.

## XXI.

*Cum* DARIUS *mille talenta ei offerret, Aſiæ fructus æquali cum ipſo portione percepturus, &* Parmenio *dixiſſet, ſe accepturum conditionem, ſi Alexandri loco eſſet, ſubjecit* Rex: Et ego, ſi Parmenio eſſem. *Dario verò dixit,* Neq; terram duos ſolos, neq; Aſiam duos Reges ſuſtinere. μήτε τὴν γῆν ἡλίους δύο, μήτε τὴν Ἀσίαν δύο βασιλεῖς ὑπομένειν. *Lucan. l. 1. v. 93.*

Nulla fides regni ſociis, omnisque poteſtas
Impatiens conſortis erit. ]

## XXII.

f. 181. *Audiens* ALEXANDER, *ſibi à quodam maledici, quem antea plurimis beneficiis affecerat, reſpondit:* βασιλικόν ἐστιν εὖ ποιοῦντα κακῶς ἀκούειν. Regium eſt malè audire, cum benefacias.

## XXIII.

f. 182. ANTIGONUS, *cum poſt Alexandri obitum in Aſia regnaret, continenter à ſubditis tributa exegit. Cumq; diceret quidam, Alexandrum non fuiſſe talē, reſpondit:*

Nec

Nec injuria. Ille enim metebat Aſiam. Ego ſtipulas colligo. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἐθέριζε τὴν Ἀσιάν, ἐγὼ δὲ καλαμῶμαι.

XXIV.

*Idem cum ſenectutem jam attigiſſet, benignè humaneq́ imperare cœpit. Quod cum omnes admirarentur, hanc reddidit cauſam:* πρότερον μὲν δυνάμεως ἐδεόμην, νῦν δὲ δόξης καὶ εὐνοίας. Olim potentiam quæſivi, nunc gloriam & benevolentiam capto.

XXV.

ANTIGONUS II. *Demetrii filius, cum audiſſet adoleſcentem, patre quidem viro forti natum, qui tamen ipſe non admodum bonus videbatur miles, ſtipendium paternum poſtulare*, Ego, *inquit*, mi Adoleſcens, mercedem & munera dare propriæ non paternæ virtutis cauſa, dignis ſoleo. Ἐπεὶ νεανίσκος ἀνδρείου πατρὸς, αὐτὸς δὲ μὴ πάνυ δοκῶν ἀγαθὸς εἶναι στρατιώτης, ἠξίου τὰς τοῦ πατρὸς λαμβάνειν ἀποφοράς. Ἀλλ᾽ ἐγὼ, εἶπεν, ὦ μειράκιον, ἀνδραγαθίας, οὐ πατραγαθίας μισθοὺς καὶ δωρεὰς δίζωμι.

f. 183.

LYSI-

XXVI.

LYSIMACHUS *in Thracia circumventus ab hoſtibus, cum ſe exercitumq́; propter ſitim in eorum poteſtatem tradidiſſet, poſtquam captivus bibit*, proh Deum fidem, *inquit*, quam exiguæ voluptatis gratiâ ſervum me de rege feci! ὦ θεοὶ, εἶπεν, ὡς μικρᾶς ἡδονῆς ἕνεκα δοῦλον ἐμαυτὸν ἐκ βασιλέως πεποίηκα.

XXVII.

f. 184. *Dici ſolet bellum eſſe utriusq; partis tàm vincentis quàm victæ pœnam. Id expertus fuit* Pyrrhus, *qui cum duobus prœliis viciſſet Romanos, multosq́; amicorum & ducum amiſiſſet, dixit*: Si adhuc ſemel Romanos vincemus, actum eſt de nobis. ἂν ἔτι μιὰν μάχην Ρωραίους νικήσωμεν, ἀπολώλαμεν

XXVIII.

f. 185. THEMISTOCLES *Seriphio cuidam*
Cic. *objicienti, non propter ſeſe, ſed propter ur-*
Cat. *bem, celebrem ipſum eſſe*, verum *ait*, dicis.
mai. P. Cæterum neque ego ſi Seriphius fuiſ-
78. Plut ſem, factus eſſem nobilis, neque tu, ſi
in vita Athenienſis. (*Herodotus l. 8. f.* 573. *ta-*
Thom. *le quid perpeſſum ſcribit Themiſtoclem Lace-*
f. 121. *dæmone à Timodemo quodam inimico ejus,*
Simile
quid
Laërti-

*imi*

*imi aliàs ſubſellii viro. Is livore inſaniens vitio ei vertebat itionem in Spartam, ingens, illum Athenarum reſpectu, non ſui, à Lacedæmoniis honores aſſecutum. Tandem cum non finem faceret, talia dicendi, dixit ei Themiſtocles:* ô homo, ita res habet. Neque ego ſi Belbinitanus forem, ſic à *S*partanis honoratus fuiſſem, neq; tu, etſi Athenienſis.) *iu de Anarcharſide refert. p. 73.74.*

XXIX.

*Idem poſtulanti à ſe* SIMONIDI, *ut ſententiam quandam injuſtam ferret*, Neq; tu, *inquit*, Poëta bonus eſſes, ſi præter numerum caneres, neq; ego princeps probus, ſi contra leges judicarem. πρὸς Σιμωνίδην ἐξαιτούμενον τινὰ κρίσιν οὐ δικαίαν, ἔφη, μήτ' ἂν ἐκεῖνον γενέσθαι ποιητὴν ἀγαθὸν, ᾄδοντα παρὰ μέλος, μήτ' αὐτὸν ἄρχοντα χρηστὸν, δικάζοντα παρὰ τὸν νόμον. (*Vide vit. Themiſt. fol. 114.*)

XXX.

*De filiæ procis probum diviti prætulit, quod diceret*, virum ſe malle pecuniæ, quàm pecuniam viri egentem aſſciſcere. ἄνδρα ζητῶ χρημάτων δεόμενον ϖᾶλλον, ἢ χρήματα ἀνδρός. (*In vit. Themiſt. f. 121 Ex illis, qui nuptias filiæ ſuæ ambirent, cum probum*

*præ*tu-

*prætuliſſet pecunioſo*, *ait*, virum ſe quærere, qui pecunia egeret potius, quàm pecuniam, quæ viro. *Cic. l. 1. offic. p.* 48)

XXXI.

*Heſiod. l. 1. ἔργ v. 344. πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ*

*Fundum vendens, præconem indicare juſſit*, commodum ejus eſſe vicinum. χωρίον πωλῶν, ἐκέλευσε κηρύττειν, ὅτι καὶ γείτονα χρηστὸν ἔχει. (*In vita Themiſt. fol. 121. hoc præmittitur.* Ἴδιος δέ τις ἐν πᾶσι βουλόμενος εἶναι, *cum omni in re facere aliquid vellet ſingulare, prædium vendens &c. Vide Emblema Alciati 165. cum notis Claudii Minois. pag. 571.*

XXXII.

*Repetitur hoc in præceptis de gerẽda repub. f. 812.*

*Athenienſibus ipſum contumelia afficientibus*, Quid laboratis, inquit, ſæpiùs ab iisdem affecti beneficiis? *Ac platano ſeſe comparabat, ſub quam confugiunt homines ortâ tempeſtate, redditâ ſerenitate prætergredientes folia ejus ſtringunt, ipſamq́; dicteriis inceſſunt.* (*In vita ejus f. 121.* ἔλεγε τοὺς Ἀθηναίους οὐ τιμᾶν αὐτὸν, οὐδὲ θαυμάζειν, ἀλλ' ὥσπερ πλατάνῳ χειμαζομένους μὲν ὑποτρέχειν καὶ κινδυνεύοντας, εὐδίας δὲ περὶ αὐτοὺς γενομένης τίλλειν καὶ κολούειν. Athenienſes dicebat nec in honore habere ipſum nec admiratione, ſed

ſicut

ſicut ſub platanum, ita ſub ſe, tempeſtate coorta & ingruentibus periculis, refugere, verùm ubi diſſerenuerit apud eos, vellicare ſe & reſcindere ramos.)

XXXIII

*Cum Eretrius quidam dicere contra eum intenderet, exprobrans ei ignaviam dixit:* ἢ γὰρ καὶ ὑμῖν περὶ πολέμου τίς ἐστι λόγος, οἳ καθάπερ αἱ τευθίδες μάχαιραν μὲν ἔχετε, καρδίαν δ᾽ οὐκ ἔχετε; Num vos quoq; dicere quid de bello vultis, qui ſicut teuthides (*loligines*) gladium quidem habetis cor autem non habetis? (*In vit. Themiſt. f. 118. Vide & proverb. Teuthidum more.*)

XXXIV.

ARISTIDI, *quem juſtum cognominarunt, inimicitia interceßit cum* Themiſtocle. *Cum quo miſſus aliquo legatus,* visné, *inquit*, ô Themiſtocles, inimicitiam in finibus deponamus? Si enim videbitur, reverſi eam rurſum ſuſcipiemus. βούλει ὦ Θεμιστόκλεις, ἐπὶ τῶν ὅρων τὴν ἔχθραν ἀπολίπωμεν; ἂν γὰρ δοκῇ, πάλιν αὐτὴν ἐπανιόντες ληψόμεθα: (*Facit huc illud Planci l. 10. famil. ep. 11. Non me impedient privatæ offenſiones, quò minus pro reip. ſalute etiam cum inimicißimo conſentiam.*)

XXXV.

PERICLES *amico falſum à ſe teſtimonium, quod jurejurando erat ſanciendum, exigenti*, amicum ſe uſque ad aram eſſe *reſpondit. (Hinc proverb. Amicus usq; ad aram* μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος) *Gell. l. 1. c. 3.*

XXXVI.

ALCIBIADES *in ludum quendam literarium ingreſſus, cum apud Magiſtrum Iliada Homeri poſtulatam non inveniſſet, alapam ei impegit ſatis duram, atque eum imperitum eſſe, & ſimiles ſui pueros efficere dixit. ( Vide & vit. Alcibiad. f. 194. )*

XXXVII.

*Evocatus ab Athenienſibus è Sicilia ad dicendam cauſam, cum capitis acquireretur, abdidit ſeſe*, ſtultum eſſe *dicens*, reum qui cum fugere judicium liceat, quærat, quî in eo ſe defendat (ἐιπὼν εὐήθη εἶναι τὸν δίκην ἔχοντα, ζητεῖν ἀποφυγὴν, ἐξὸν φυγεῖν) *Ac dicenti cuidam: Non fidis patriæ de te judicaturæ?* Ne matri quidem, *inquit*. Metuerem enim ne per errorem atrum calculum pro albo in urnam injiceret. (*Originem hinc traxit proverbium, quod Philippus citat in Rhetor l. 1. p. 56.* ἐξὸν φυγεῖν, μὴ ζήτει δίκην. *Si licet effugere, ne quæras jus*)

IPHICRA-

## XXXVIII.

IPHICRATES, *cum ei* Harmodius, *unus de priſci illius Harmodii poſteris, exprobraſſet ignobilitatem, reſpondit:* τὸ μὲν ἐμὸν γένος ἀπ' ἐμοῦ ἄρχεται, τὸ δὲ σὸν ἐν σοὶ παύεται. Meum â me incipit genus, tuum in te deſinit. f. 187.

## XXXIX.

TIMOTHEUS *fortunatus videbatur eſſe imperator, ac nonnulli invidi pingebant urbes ultro in ipſius dormientis naſſam ſe induentes, Dicebat itaq;*: Si tantas ego urbes per ſomnum capio, quid me vigilantem putatis facturum? Τιμόθεος εὐτυχὴς ἐνομίζετο στρατηγὸς εἶναι. καὶ φθονοῦντες αὐτῷ τινὲς ἐζωγράφουν τὰς πόλεις εἰς κύρτον αὐτομάτως ἐκείνου καθεύδοντος ἐνδυομένας. ἔλεγεν οὖν ὁ Τιμόθεος, εἰ τηλικαύτας πόλεις λαμβάνω καθεύδων, τί με οἴεσθε ποιήσειν ἐγρηγορότα; (*Vide proverb.* εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ Dormienti rete capit. *Quod in eos dicitur, quibus citra conatum obtingunt ea, quæ cupiunt.*)

## XL.

CHABRIAS *dicebat*, optimum hunc eſſe imperatorem, qui maximè cognitas habeat res hoſtium. Κάλλιστα

ϛρατηγεῖν τοὺς μάλιϛα γινώσκοντας τὰ τῶν πολεμίων, Solebat & dicere, terribiliorem eſſe cervorum exercitum Leone duce, quàm Leonum agmen, ducente cervo. φοβερώτερον ἐλάφων ϛρατόπεδον ἡγουμένου λέοντος, ἢ λεόντων, ἐλάφου. (*Quantum referat, bonum ducem nactum eſſe, docet vulgatum proverb. citatum à Plut vit. Lycurgi f. 58.* ὁ καλῶς ἄγων ἐμποιεῖ τὸ καλῶς ἕπεσθαι, bonus dux bonum reddit comitem.)

XLI.

f. 188. *Cum dono miſiſſet* Phocioni Alexander M. *centum talenta, & quæſiiſſet ex afferentibus Phocion, quamobrem de tanto Athenienſium numero ſibi ſoli iſtud largiretur Rex; Cumq́; reſponderetur, ſolum ipſum à rege bonum virum judicari: Is repudiatâ pecuniâ,* Talem ergò, *inquit*, me & videri & eſſe patiatur. οὐκοῦν ἐασάτω με καὶ δοκεῖν καὶ εἶναι τοιοῦτον. (*Sic quod AEſchylus de Amphiarao ſcribit Tragœd. quæ inſcribitur* ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις *v. 519. Id Plutarchus in Apophth. f. 186. ad Ariſtidem accommodavit:* οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ᾽ εἶναι θέλει. *Neque enim videri, ſed vult eſſe is optimus. Perinde ut Socrates dicit apud Xenoph. l. 2.*

ἀπομνημον

ἀπομνημον. *f.* 472. συντομωτάτη τε καὶ ἀσφαλε-
στάτη καὶ καλλίστη ὁδὸς, ὅτι ἂν βούλῃ δοκεῖν ἀγα-
θὸς εἶναι, τοῦτο καὶ γενέσθαι ἀγαθὸν πειρᾶσθαι.
*Quod Cicero reddidit:* Socrates hanc di- 2. offic.
xit ad gloriam proximam & quaſi com- p. 41.
pendiariam viam, ſi quis id ageret, ut
qualis haberi vellet, talis eſſet)

XLII.

*Idem injuſtam abs ſe actionem poſtulanti* ANTIPATRO *reſpondit:* οὐ δύνασαι καὶ φίλῳ Φωκίωνι χρῆσθαι καὶ κόλακι. Non potes, Antipater, Phocionem & amicum habere & adulatorem. (*In libr. de diſcr. adul. & amici f. 64. monſtratur uſus hujus Apophthegmatis. Si amicorum quiſpiam in re turpi tuam operam poſtulat, ab his, quæ non decent, avertas potius illum, quàm gratificeris. Quod ſi perſuaderi non poterit, utaris eo, quod Phocion ad Antipatrum dixit:* οὐ δύνασαί μοι καὶ φίλῳ χρῆσθαι καὶ κόλακι, τουτέστι καὶ φίλῳ καὶ μὴ φίλῳ. συνεργεῖν γὰρ δεῖ τῷ φίλῳ, μὴ συμπανουργεῖν καὶ συμβουλεύειν, μὴ συνεπιβουλεύειν, καὶ συμμαρτυρεῖν, μὴ συνεξαπατᾶν, καὶ συνατυχεῖν, μὴ συναδικεῖν. Non potes me & amico uti & adulatore, id eſt, amico & non amico. Adjuvandus

eſt amicus in factis, non in flagitiis: in conſultando, non in parandis inſidiis: teſtimonio, non fraude: deniq; ſocius etiam adverſæ fortunæ, non autem maleficii, eſſe debes.)

XLIII.

f. 189. DEMETRIUS PHALEREUS *Regi Ptolemæo ſuaſiſſe dicitur*, ut libros de regno & principatu ſibi pararet ac legeret. De quibus enim amici reges monere non audent, ea in libris extare. ἃ γὰρ οἱ φίλοι τοῖς βασιλεῦσιν οὐ θαῤῥοῦσι παραινεῖν, ταῦτα ἐν τοῖς βιβλίοις γέγραπται. *(Sic Laertius de Zenone lib. 7. p. 435. refert, quod cum honeſtè vivere cuperet, & qua id ratione fieri poſſet, ab oraculo erudiri vellet, juſſus fuerit* συγχρωτίζεσθαι τοῖς νεκροῖς concolorem fieri mortuis. *Quod ille ſic intellexit, juberi ſe veterum ſapientum libros legere, & mortuis hac ratione ſe conformare. Plura in hanc ſententiam referuntur à Beurero, Synopſ. hiſt. l. 1. aphor. 9.)*

XLIV.

LYCURGUS *celeberrimus ille Lacedæmoniorum legislator vetuit*, iisdem ſæpius bellum inferre, ne ij hoc pacto

pugna-

pugnaciores (μαχιμώτεροι) redderentur: (*Repetitur Apophth. Lacon. f. 213. & 227.*) *Unde cum poſteris temporibus vulnus infligeretur* Ageſilao, Antalcidas *ſalſo hoc ſcommate ipſum excepit*, præclara cum *inquiens* doctrinæ præmia à Thebanis reportare, quos invitos exercuerit docueritq; bellum gerere, καλὰ διδασκάλια παρὰ θηβαίων λαμβάνειν αὐτὸν, ἐθίσαντα καὶ διδάξαντα πολεμεῖν ἄκοντας. (*Vide & in Laconicis f. 213. item in vita Pelopidæ fol. 285. in vit. Ageſilai f. 610.*)

XLV.

*Aſſuefeciſſe etiam dicitur* Lycurgus *Lacedæmonios ad alendam comam, quod diceret*, eâ formoſos pulchriores, deformes terribiliores reddi. τοὺς μὲν καλοὺς ἡ κόμη εὐπρεπεστέρους ποιεῖ, τοὺς δὲ αἰσχροὺς φοβερωτέρους. (*Nam ut Clemens Alex. lib. 3. pæd. c. 3. de Gallis & Scythis ſcribit* ἔχει τι φοβερὸν τὸ εὔτριχον τοῦ βαρβάρου *terribile quid præ ſe fert denſum barbari capillitium.*) *De iisdem interrogatus Charillus rex, cur comam alerent, reſpondit:* ὅτι τῶν κόσμων ἀδαπανώτατος οὗτός ἐστι. Quia omnium ornatuum hic minimo conſtat ſumtu. In Lacon. f. 228.

XLVI.

AGIS *Rex apud Mantineam vetantibus pugnam cum hoſtibus conferre, quod numero vincerent, dixit*: ἀνάγκη πολλοῖς μάχεσθαι τὸν ἄρχειν πολλῶν βουλόμενον, Adverſus multos pugnet neceſſe eſt, qui multis vult imperare.

LXVII.

LYSANDER *culpantibus ipſum, quod multa per dolum agendo parum dignum Hercule ſe gereret, dixit*: ὅπου μὴ ἐφικνεῖται ἡ λεοντῆ, προσραπτέον εἶναι ἐκεῖ τὴν ἀλωπεκῆν. Ubi leonina pellis non ſufficit, ibi aſſuenda eſt vulpina. *Repetitur in ejus vita f. 427. & in Lacon. f. 229. Reſpexit autem in ſuo hoc dicterio ad pellem Leonis, quam pro ſcuto geſtare fuit ſolitus Hercules.)*

XLVIII.

AGESILAUS *de fortitudine & juſtitia interrogatus, utra harum major eſſet, reſpondit*: οὐδὲν ἀνδρείας χρήζομεν, ἐὰν πάντες ὦμεν δίκαιοι. Nihil opus foret fortitudine, ſi omnes juſti eſſemus.

XLIX.

f. 191. *Moriens is amici* mandavit, ne ullum ſibi fictile aut pictum (πλαστὸν ἢ μιμηλὸν) monumen-

monumentum (*Sic enim appellabat imagines*) facerent. Si quid enim egiſſet præclari, id ſibi monumentum fore; Alioqui magnam ſtatuarum copiam nihil ad gloriam conducturam eſſe. εἰ γὰρ τι καλὸν ἔργον πεποίηκα, τοῦτό μου μνημεῖόν ἐστιν. εἰ δὲ μηδὲν, οὐδ' οἱ πάντες ἀνδριάντες. (*In Lacon. f. 215. In vita Ageſ. f. 596. Xenoph. oratione de laudibus Ageſilai f. 568.* Τοῦ μὲν σώματος εἰκόνα στήσασθαι ἀπέσχετο, πολλῶν αὐτῷ τοῦτο δωρεῖσθαι θελόντων. Τῆς δὲ ψυχῆς οὐδέποτε ἐπαύσατο μνημεῖα διαπονούμενος, ἡγούμενος τὸ μὲν ἀνδριαντοποιῶν, Τὸ δὲ αὑτοῦ ἔργον εἶναι. καὶ τὸ μὲν πλουσίων, τὸ δὲ τῶν ἀγαθῶν. *Corporis imaginem ſibi ſtatui refragabatur, cum* Iſocr.
*hoc ei gratificari nonnulli vellent, ſed ani-* ad Ni-
*mi monumenta elaborare nunquam deſiſte-* cocl.
*bat, putans* ſtatuariorum illud, ſed hoc præcep. 37.
bonorum eſſe. *Vide & l. 1. famil ep. 12. Neq; minus eſt Spartiates Agaſilaus illa prohibendus.*)

L.

DAMONIDAS *ab eo, qui chorum conſtituebat, ultimo collocatus loco,* Bene verò, *inquit*, factum, Inveniſti enim hujus quoque ſtationis ornandæ rationem. (*Significavit* non virum locô ſed

Vide & in Lacon. f. 219. locum virô cohoneſtari.) *Tale quid etiam de* Ageſilao *refertur in Lacon. f. 208. Ipſa enim puer etiamnum, quamvis rex deſignatus à Magiſtro chori obſcuro loco conſtitutus dixit*: Bene habet. Oſtendam enim non locô virum, ſed virô locum ornari. δείξω, ὅτι ἐ τόποι τὰς ἄνδρας ἐντίμους, ἀλλ' οἱ ἄνδρες τὰς τόπους ἀποδεικνύουσιν.

LI.

f. 192. ANTALCIDAS *ſophiſtæ cuidam Encomium Herculis recitaturo dixit*: Quis verò eum vituperat? (*Supervacaneam ratus ejus laudationem, qui jam antea omnium confeſſione eſſet laudatiſſimus.*)

LII.

EPAMINONDAS *Dux Thebanorum celeberrimus dicere ſolitus fuit* pulcerrimam eſſe mortem in bello, τὸν ἐν πολέμῳ θάνατον εἶναι κάλλιστον.

LIII.

f. 193. *Eorum, quæ ipſi eveniſſent bona atque commoda, omnium hoc ſibi ajebat accidiſſe jucundiſſimum, quod* utroque vivente parente Lacedæmonios ad Leuctra viciſſet. ἥδιστον πάντων αὐτῷ τῶν γεγονότων καλῶν καὶ ἀγαθῶν εἶναι ἔλεγε, τὸ τῶν γεινα μένων αὐ-

τὸν τὰ

τὸν τοῦ πατρὸς ζῶντος ἔτι καὶ τῆς μητρὸς, ἐν Λεύκτροις νικῆσαι Λακεδαιμονίους. *Poſt illam pugnam cum poſtridie ſqualidus atque humilis incederet, interrogatus ab amicis, num quid triſte accidiſſet?* Nihil, *inquit*, ſed heri ſenſi me fuiſſe animo, quam par fuit elatiore. Quocirca lætitiæ heſternæ intemperantiam hodiernâ triſtitiâ caſtigo. διὸ σήμερον κολάζω τὴν ἀμετρίαν τῆς χαρᾶς. *Referre huc libuit, quod Juſtinus ſub finem l. 6. & Valer. Maximus l. 3. c. 2. de eo commemorant, quod cum in altero conflictu cum Spartanis ad Leuctra & Mantineam haſtâ eſſet trajectus, & relatus in caſtra ſemianimis, ex circumſtantibus rogavit,* num Clypeus ſuus eſſet ſalvus? *Quem ut ſervatum audivit, allatum velut laborum gloriæq; ſocium, oſculatus eſt. Iterum quæſivit, utri viciſſent, Thebani an Spartani? Cumq; audiſſet, penes Thebanos victoriam eſſe,* Bene habere ſe rem dixit, *atq; ita velut gratulabundus patriæ expiravit.)*

LIV.

PELOPIDAS *Epaminondæ collega, cum ad pugnam abiturus ab uxore rogaretur, ut ſeipſum ſervaret,* Aliis, *inquit,* *hoc* f. 194. & in vit. Pelop. f. 288.

hoc conſulendum eſt : Principi autem & Imperatori, ut cives ſervet. τῆς γυναικὸς δεομένης σώζειν ἑαυτὸν ἄλλοις (ἔφη) δεῖ τοῦτο παραινεῖν. ἄρχοντι δὲ καὶ στρατηγῷ, σώζειν τοὺς πολίτας.

## LV.

*De* M. CURIO *Romanorum duce bellico dicitur, quod cum aliquando Samnites acceptâ clade ad eum veniſſent, aurum offerentes. Ipſe vero elixaſſet tùm fortè rapas in olla, ſic illis reſponderit*: Nihil ei opus auro eſſe ſciatis, qui ſic cœnare novit. Mihi utilius eſt, aurum poſſidentibus imperare, quàm aurum poſſidere. (*Habet & Valer. Max. l. 4. c. 3.*)

## LVI.

f. 195. *Q.* FABIUS MAXIMUS *cum Annibalem juveniliter exultantem morâ eluſurus eſſet, aliiq;* ſegnem *eum, alii* timidum *vocitarent, dixit ad amicos*: Qui maledicta & convicia metuit, is timidior mihi videtur eo, qui hoſtes fugit. *Annibal vero dixiſſe fertur, magis à ſe timeri non pugnantem Fabium, quàm pugnantem Marcellum ejus collegam. Vide Livium l. 2. dec. 3. p. 438. 440. 456. & l. 8. ejusd. Dec. p. 693.)*

LVII.

*Tarentum cum recepiſſet* FABIUS, *& is qui arcem tutabatur, ſuâ operâ eum oppido potitum diceret*, vera, *inquit*, dicis. Niſi n. tu urbem amiſiſſes, nunquam ego recepiſſem. ἐι γὰρ μὴ σὺ τὴν πόλιν ἀπέβαλες, οὐκ ἂν ἐγὼ ἀνέλαβον. (*Vide Cicer. Cat. Mai. p. 79.*

LVIII.

SCIPIO MAJOR *omne illud tempus, quod à gerendis impiis & rep. vacuum erat, literarum ſtudiis inſumens, dicebat*, in otio ſe plura, quàm aliàs agere. (*Videtur idem eſſe cum eo, quod in principio l. 3. offic. Cicero habet, P. Scipionem, inquiens, eum qui primus Africanus appellatus eſt, dicere fuiſſe ſolitum*, Nunquam ſe minùs ocioſum eſſe, quàm cum ocioſus eſſet. *Vide ibi quæ ſequuntur.*) f. 196.

LIX.

*Idem interrogatus in Sicilia à quodam, qua re fretus auderet exercitum in Africam adverſus Carthaginenſes trajicere, demonſtravit ei trecentos viros, qui in armis exercebantur, turrimq; ad mare excelſam, & hoc addidit:* οὐδεὶς τούτων ἐστὶν, ὅστις ἐπὶ τὸν πύργον ἀναβὰς τοῦτον, οὐκ ἂν ἑαυτὸν ῥίψειεν ἐπὶ

κεφαλὴν

κεφαλλῶ, ἐμοῦ κελεύσαντος. Nullus horum eſt, qui non me jubente ſit, conſcenſa hac turri, præcipitem ſeſe in mare dejecturus.

LX.

f. 197. *T.* QUINTIUS FLAMINIUS *Philopœmeni Achæorum duci multis equitibus ac gravis armaturæ militibus inſtructo, pecuniæ autem inopi, illudens*, manus eum *ajebat habere & crura, ſed ventre carere. (Quod dixiſſe eum ait Plutarchus, reſpicientem ad ejus corporis habitum, cum ita gibboſus fuerit, ut ne ventrem quidem habere videretur. Sed referri etiam poteſt dicterium iſtud ad Apologum de ventre & reliquis membris humani corporis, apud Livium l. 2. Dec. 1. p. 64.)*

LXI.

f. 198. PAULUS ÆMILIUS *cum de victis hoſtibus triumphum ducturus Romam veniſſet, unus ejus filius annos natus 14. quinque diebus ante triumphum vitam cum morte commutavit, alter etiam quinto poſt triumphum die mortuus eſt anno ætatis duodecimo. Progreſſus in publicum, cum populus calamitatem ejus lugeret, dixit:* Nunc demùm patriæ metuere deſino, poſtquam fortuna, quæ

na, quæ felicitatem calamitatib. compenſare ſolet, in meam incubuit domum, ejusque clade proſperos Reip. ſucceſſus ulta eſt. (*Vide & Vit. Æmil. f. 273. 274. Liv. l. 5. d. 5. p. 1216. Vell. Paterc. l. 1. p. 10. Valer. Max. l. 5. c. ult.*)

## LXII.

M. CATO *cum aliquando plebem Romam importunè annonam* (σιτομετρίας) *& largitiones* (διανομὰς) *flagitantem revocaturus eſſet, ſumſit hujusmodi exordium:* χαλεπὸν μέν ἐστιν, ὦ πολῖται, πρὸς γαστέρα λέγειν ὦτα οὐκ ἔχουσαν. Difficile eſt, Quirites, ad ventrem auribus carentem verba facere. (*In vita Cat. maj. f. 340. Vide & Proverb.* γαστὴρ ὦτα οὐκ ἔχει, venter caret auribus, *hoc eſt, ubi de paſtu agitur, non admittuntur honeſtæ rationes. Nec qui ventris voluptatibus addicti ſunt, quicquam ſibi perſuaderi patiuntur, quod ventri non ſit amicum.*)

## LXIII.

*Idem inſtigans magiſtratus & ad imponenda ſontibus ſupplicia, dicebat*, eos qui malè agentes prohibere poſſent, neq; id facerent eorum flagitiis aſſentiri, Τοὺς δυναμένους κωλύειν τοὺς κακῶς ποιοῦντας, ἐὰν

*Senec. Troade act. 2. v. 293. Qui nõ vetat peccare*

*re, cum poſſit, jubet.* ἐὰν μὴ κωλύωσι, καταϰελεύειν. *Inter alia etiam ſenes hortatus fuit, ne ſenectuti, cui aliàs multa adeſſent incommoda, turpitudinem*
f. 199. *à vitiis proficiſcentem ſuperadderent.* τῷ γήρᾳ πολλῶν παρόντων κακῶν, ἠξίου μὴ προστιθέναι τὴν ἀπὸ τῆς κακίας αἰσχύνην.

LXIV.

*Cenſuram ambiens cum cæteros videret rogare populum & adulari, ipſe vociferatus eſt*, populum opus habere acri medico & magna purgatione. Non itaq; blandiſſimum ſed inexorabilem aliquē & ſeveriſſimum eſſe diligendum. *Hoc cum dixiſſet, præ omnibus eſt cenſor renunciatus. (Vide de Cenſura Plut. vit. Paul. Æmil. f. 275 & M Cat. Majoris f. 345. Athen l. 14. f. 660. Liv. l. 4. Dec. 1. p. 141.)*

LXV.

*Cum plures cepiſſet urbes quam dies in hoſtico egiſſet*, nihil ſe præter cibum & potum hinc accepiſſe dixit: οὐδὲν πλέον ἐκ τῆς πολεμίας ἔλαβον, ὧν ἔπιον ϗ ἔφαγον.

LXVI.

f. 201. P. SCIPIO *junior militi clypeum præclarè ornatum oſtentanti dixit:* Clypeus quidem, ô adoleſcens, pulcer eſt, ſed

Roma-

Romanum virum magis decet in dextra ſua, quàm in ſiniſtra fiduciam habere collocatam. Ὁ μὲν θυρεὸς, ὦ Νεανία, καλὸς πρέπει δὲ Ῥωμαῖον ἄνδρα μᾶλλον ἐν τῇ δεξιᾷ τὰς ἐλπίδας ἔχειν, ἢ τῇ ἀριστερᾷ.

LXVII.

